


45.



Proibito.

GEORGII HORNII
HISTORIA ECCLESIASTICA et POLITICA

Editio nova auctior et emendatior.


Usque quo Domine


Prædicate Evangelium.

Væ Væ Væ

LUGD. BATAV: Ex Officina HACKIANA 1671.

G. Wingendorp fe.







SERENISSIMI & CELSISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI

D. CAROLI LUDOVICI,

D. G. COMITIS PALATINI AD RHENUM, S.R. IMPERII ELECTORIS ET ARCHITHESAURARII, DUCIS BAVARIÆ, &c.

FILIO PRIMOGENITO,


CELSISSIMO PRINCIPI

D. CAROLO

D. G. COMITI PALATINO AD RHENUM, ELECTORATUS HÆREDI, DUCI BAVARIÆ.

PRINCIPI AC DOMINO

SUO CLEMENTISSIMO.



HISTORIAM ECCLESIASTICAM & POLITICAM ex immenſo quo-

dam diffusissimarum materiarum Oceano in hanc velluti Maris Caspii brevitatem contractam, ut quibus non vacat classibus voluminum Historicorum res Ecclesiæ ab orbe condito ad nostra tempora frequentare, illi exigua cymba minori periculo, majori securitate idem assequantur, tibi, Serenissime & Celsissime Princeps CAROLE PALATINE inscribere & sacram facere visum fuit. Ea est ætas tua & principalium virtutum jam ad maturitatem assurgens, communis tot populorum Serenissimo Electori Palatino, Parenti non tuo tantum, sed totius Patriæ ac Germaniæ

niæ ſubjectorum expectatio, ut rerum ad Eccl. ad Remp. ſpectantium notitia ultro ſe tibi commendet, ac à quo patrocinium utraque ſperat, in ejus ſibi animum è teneris aditum parare & hoſpitium affectet. Quid enim dignius Chriſtiano Principe & ad maximas deſtinato ſpes, quam res Eccleſiæ, per tot ſeculorum continuatam ſucceſſionem, ejus certamina & clades, ejus victorias & triumphos, ex vero cognoſcere? Non ibi occurrunt armis expugnatæ provinciæ & prælia cæſis utrimque hoſtilibus turmis abominanda; ſed innocentia, ſed ſanctitas, ſed martyrium. Noach di-

luvium impii orbis ex arca ſecurus deſpicit. Abraham unici filii parcus non eſt, dum Deo obedit. Moſes in monte Sinai inter tonitrua & fulgura legem accipit, & iratus populo frangit. Samuel Reges creat & deſtituit. David Pſalmis ſuis, divinus Orpheus, non homines modo, ſed ſaxa, ſed animantia, nives quoque & ignes, ventos & arbores & quicquid ſpiritum habet, ad Dei laudes movet. Eſaias euangelizat, lamentatur Jeremias, ſtruit Ezechiel, Daniel exitum ſeculi & reſurrectionem inſtantem annunciat, ſecurus inter leones, & tres ſocii ejus in furno flammis intacti, velut inter

roſcida prata & roſeta inambulant. Jonam balæna ventre, tanquam hoſpitio, exceptum, ad littus iterum gratabunda deponit. Zacharias filiam Zijonis hilarem eſſe jubet, quia Rex ejus venit. Malachias adventum Angeli annunciat. Tum poſt breve intervallum & diras Seleucidarum pariter & Ptolemæorum perſecutiones Eccleſiæ, naſcitur Meſſias JESUS CHRSTUS, & lege impleta EUANGELIUM prædicare jubet. Eunt ergo in univerſum mundum Apoſtoli, & prædicant Euangelium ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Duodecim Apoſtoli univerſum orbem velut regnum Chriſti, legatorum inſtar, obeunt, adeunt Reges & Tyrannos annunciant fidem & remiſſionem peccatorum: idola deſtruunt, miracula patrant, convertunt innumeram multitudinem. Stupet orbis, frendet Diabolus, Sacerdotes ringuntur, Tyranni ſæviunt, Chriſtiani patiuntur & rident veſaniam: Euangelium ſanguine Martyrum fecundatur: dum unus Chriſtianus occiditur, centeni ex ſpectatoribus Chriſtiani fiunt: laſſatur carnifex, deſperat Judex, Nero ſe jugulat, Trajanus tergiverſatur & tamen ſævit, Adrianus

incertus post mortem hospitii seipsum excarnificat, Valerianus excoriatur à Persis, Maximinus submergitur, Galerius à vermibus exenteratur, Diocletianus omnium atrocissimus se venenat, & ita Tyranni dum Christianismum extinguere volunt, & se & Idola & Satanam miserabiliter perdiderunt, crescente indies regno Christi per mille mortes & tormenta fidelium.

Quippe CONSTANTINUS Magnus, deletis Tyrannis exulare Idololatriam, regnare Christum jussit. Mox Diabolus cum suis hariolis, haruspicibus, sagis, Magis, ligneis & lapideis (aurea & ar-

Duodecim Apoſtoli univerſum orbem velut regnum Chriſti, legatorum inſtar, obeunt, adeunt Reges & Tyrannos annunciant fidem & remiſſionem peccatorum: idola deſtruunt, miracula patrant, convertunt innumeram multitudinem. Stupet orbis, frendet Diabolus, Sacerdotes ringuntur, Tyranni ſæviunt, Chriſtiani patiuntur & rident veſaniam: Euangelium ſanguine Martyrum fecundatur: dum unus Chriſtianus occiditur, centeni ex ſpectatoribus Chriſtiani fiunt: laſſatur carnifex, deſperat Judex, Nero ſe jugulat, Trajanus tergiverſatur & tamen ſævit, Adrianus

incertus post mortem hospitii seipsum excarnificat, Valerianus excoriatur à Persis, Maximinus submergitur, Galerius à vermibus exenteratur, Diocletianus omnium atrocissimus se venenat, & ita Tyranni dum Christianismum extinguere volunt, & se & Idola & Satanam miserabiliter perdiderunt, crescente indies regno Christi per mille mortes & tormenta fidelium.

Quippe CONSTANTINUS Magnus, deletis Tyrannis exulare Idololatriam, regnare Christum jussit. Mox Diabolus cum suis hariolis, haruspicibus, sagis, Magis, ligneis & lapideis (aurea & ar-

gentea in alios uſus conflabantur)idolis,ſe in ſpeluncas & ſylvas & ignobilia pagorum latibula tacitus recepit, Imperiis & regnis,quę Rom. Monarchiæ ſubjiciebantur, vel vicina & bello cognita erant, Chriſto relictis. Ita vicit LEO de tribu JUDA & gentes ac fines terræ virga ferrea rexit. Et quanquam Julianus Apoſtata contra niteretur, mox tamen à Galilæo (ita Chriſtum vocabat) lancea cœleſti trajectus occubuit. Ceſſantibus Ethnicis turbis Eccleſia hæreticorum interna certamina ſenſit. Arius dum Deitatem Chriſti negat, Concilio primo Oecumenico Niceno, cauſam

præbet. In eo Ecclesia, sive regnum Christi, generalem quasi lustrationem instituit & magnitudinem suam uno congregatam loco circumspexit. Successerunt furores Nestorii & Eutychis, Macedonii & Pelagii, & infinita alia certamina, quæ quasi morbi quidam Ecclesiam à superfluis humoribus & corruptis expurgarunt, quanquam non absque periculo & damno totius corporis. Donec tandem ut cuncta humana sunt corruptioni obnoxia, in Occidente Papa, in Oriente Muhammed, Ecclesiam ille Latinam, hic Græcam, velut tempestas quędam & nox tenebrosa ac

formidabilis involverent, ac tanquam patrimonium hercifcerentur. Deteriora inde fingulis feculis Ecclefiæ, clam in defertis & privatis familiis delitefcentis, tempora, donec feculo nono, horribiles & plufquam Cimmeriæ tenebræ univerfum orbem Chriftianum, ipfo fatente Baronio, fedentibus in Cathedra Romana monftris hominum, pueris, fęminis, Magis, Atheis, involverent pariter, & fœdarent.

Ita dum omnis Chriftianifmus in Occidente pariter & Oriente perit vel mifere corrumpitur, circa feculum cIↄ cc. Waldenfes hactenus intra privatos parietes & in fylvis

ſylvis ac ſpeluncis cum Elia & aliis Prophetis deliteſcentes in publicum prodierunt, errores Papatus detexerunt, Eccleſias reformarunt, & quanquam horrendis perſecutionibus incredibili multitudine exſcinderentur, indies tamen auctiores facti totum occidentem, fruſtra ſęviente Inquiſitione impleverunt. Eorum veſtigiis in Anglia Joh. Wiclef, in Bohemia Joh. Huss, inſiſtentes, ſicut lucem Euangelii in Eccleſia, ita ignes perſecutionis in curia accenderunt. Sæviebatur igitur horribiliter & plures orbe Chriſtiano lucebant paſſim Martyribus conſecrati rogi, quam in cœ-
lo

lo ſtellæ. Inde Zwinglius in Helvetia, Lutherus in Saxonia, Calvinus in Gallia, Knoxus in Scotia, Cranmerus in Anglia, alii aliis regnis ac provinciis reformarunt Ecclesiam, partim faventibus, partim reluctantibus, qui rerum potiebantur, ſed ſupra omnes Papâ cœlum, terram ac Tyria maria commovente & omnes proteſtantes exitio deſtinante immiſericorditer. Nec Satellites ipſi defuerunt, filii nimirum dilecti, in Galliis Guiſii lanienæ Pariſienſis architecti, in Belgio Dux Albanus, ubi Reidano teſtante, *carnificis manu, igne, aqua, patibulo & gladio amplius centena hominum*

millia perierunt ; neque ulla inter decem gentilium priscæ Ecclesiæ persecutiones tam sanguinolenta & diuturna fuit. Et quanquam Euangelium magis magisque tota Europa se diffunderet, jamque tota Britannia, Dania, Norwegia, Suecia, maxima Germaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Galliæ pars id publicè profiterentur, non tamen furor persecutionis desiit, sed belli specie ac prætextu, infinitis cædibus & universali quadam destructione orbem Christianum pervasit, neque adhuc quies aut cessatio generalis, quanquam Germania, Gallia, Britannia, Belgium, pace Ecclesiastica ut-

cunque respirent; alibi tamen atrociter nupere sævirum nec metus deest imminentium passim persecutionum, quoniam nondum Babylon magna, mulier ebria de sanguine Sanctorum & de sanguine Martyrum Jesu, in memoriam ante Deum venit & damnationem, exclamantibus etiamnum animabus interfectorum pro nomine Jesu & testimonio ejus: USQVE QVO DOMINE NON VINDICABIS SANGUINEM NOSTRUM!

Hanc tuo illustrissimo nomini, PRINCEPS SERENISSIME & CELSISSIME, CAROLE Comes Palatine & Dux Bavariæ,

variȩ,inſcribere viſum,quod maximam in te ſpem & avitarum paternarumque virtutum expectationem, non Palatinatus modo, verum universa Germania reponat. Habes in Sereniſſimo Electore parente tuo perfectum omnis & Sacræ & Civilis prudentiæ exemplar, qui à teneris inter maximos exercitus caſus, quantum Eccleſiæ, quantum Reipublicæ debeatur, quam exactiſſime novit. Palatinatum tam diuturno, tam gravi bello exhauſtum quam brevi tempore pietate, juſtitiâ, manſuetudine, priſtino ſplendori reſtituit? Teſtatur id Academia ingens totius Chriſtiani

orbis

orbis ornamentum: loquuntur curiæ & tribunalia, ſonant Eccleſiæ, ipſa urbium ex ruderibus inſtaurata propugnacula, ager omnis & vitiferi montes, ipſe Nicer & Rhenus Patrem Patriæ clamant & lata collibus per Voſegum & Hercyniam reſonantibus ſalutant.

DEUS Sereniſſimum Electorem parentem tuum in longos bono publico conſervet annos, teque omni benedictionum cœleſtium pariter & terreſtrium abundantiâ cumulet atque exornet. Lugd. Batavor. XXIV. Julii CIↃ IↃCLXV.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HISTORIAM ECCLESIASTICAM, *Benevole Lector, à mundi exordio ad nostra usque tempora deductam, publico usui communem facere visum multas ob causas, quas commemorare omnes necesse non est. Præcipua tamen hæc erat, quod cum extarent magna & multa de Ecclesiasticis rebus volumina, vix tamen reperiretur, qui exigua mole, omnia ad plenam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam spectantia, commoda methodo & perspicua plenaque narratione constrinxisset. Si venerandus Theologus* Henricus *Altingius suam, quam olim in Academia Groningana cœperat, Theologiam Historicam absolvere potuisset, haberet studiosa juventus copiosam Ecclesiasticæ Historiæ supellectilem, quam-*

quam

quam & illa quæ extant, insignem discentibus usum præbere possint. Mihi vero propositum fuit temporum ordinem ac successionem sequi & totum Sacræ Historiæ corpus in duas veluti magnas partes, Ante *&*Post *Christum natum; utramque per suas* Periodos, *& has iterum in* Articulos *tanquam minora membra dividere, ac ne continua cohæsio legentibus tædium pareret, aut confusionem, cuncta suis numeris dispescere, ut ita velut in viridario arbores per quincuncem disponuntur, materiæ singulæ suis distributæ areolis & spatiis, majori delectatione, certe meliori ordine, conspicerentur.*

Historia *Ecclesiastica se in omnibus Politicæ accommodat. Sicut enim mundus ex lite & amicitia, ex pace & bello, ex serenitate aëris & turbida tempestate constat: ita etiam Ecclesia tanquam navis inter fluctus & scopulos, tanquam domus inter terræ motus & asperita-*

asperitates, tanquam exercitus inter prælia, victorias & clades jactatur, sursum, deorsum, victrix, vincens; suas quoque perferens strages & calamitates: & quanquam prælio interdum inferior, nunquam tamen bello vincitur. Sicut præclare Sulpicius: nunquam majori triumpho vicimus, quam cum decem annorum strage vinci non potuimus. *Hæc prælia* Ecclesia*rum scribere animus fuit, non consectando minutias & singulorum Christi militum certamina ac coronas Martyrum (hoc enim ad* Martyrologia *&* Particularem *Historiam Ecclesiasticam pertinet) sed summa tantum & decretoria totius Ecclesiæ certamina, ubi vel* hæresis *tetra carceribus clausa Synodorum Oecumenicarum & consensu Christianitatis damnata: ut* Arii, Nestorii, Eutychis, Macedonii, Pelagii, *(nam hæc sunt quasi quinque omnium totius mundi hæresium elementa,) ex*

quibus

quibus tanquam fontibus sua postmodum ad nostra usque tempora hauserunt Sociniani, Ubiquitistæ, Quakeri, id est universalis quædam colluvies pessimorum fanaticorum, qui verbum Dei S. Scripturâ revelatum audent obscuritatis, ambiguitatis, falsitatis, condescentiæ ad opiniones & errores vulgi accusare, vel saltem non satis fortiter contra criminatores defendere. Sic non desunt qui Codicem Hebræum à Judæis vitiatum data opera nugantur, ut scilicet Judæi aliquid temporis præripiendo Patriarchis, eò plus spatii Messiæ suo, quem jam per CIↃ IↃ C annos & amplius frustra expectant, lucrentur.

Alii dogmata sui cerebri, non Scripturis, sed Scripturas suo cerebro, vel infallibilitati Papæ, aut Patrum (inter se perpetuo discordium) consensui, aut denique Conciliorum (quæ & ipsa errare posse statuunt ac passim erroris condemnant) decretis accommodant, quæ

omnia

omnia cum ne ipsorum quidem sufficiant rixis finiendis, qui & Patres *&* Concilia *allegant &* decreta *Paparum: tandem ultimum hoc anno inventum fuit expediens: Ut* ergo *Papa* declaretur *à Christianissimo Rege* INFALLIBILIS. *Ita enim & sanctam Scripturam & sacrosancta Concilia & omnes antiquos Patres & leges ac jura regnorum, & libertates Ecclesiarum ac populorum forent in manu & Monarchia unius, ac illud impletum putant iri:* DIXIT *&* FACTUM EST. Dominabitur *à* mari *ad* mare *& regni ejus non erit* finis. *Hic nunc est status* Christianismi, *Papa per* infallibilitatem, *Universalem in totum orbem omnesque præsertim Romano-Catholicos Monarchiam affectante.*

Si in causas tot hæreseon & schismatum accuratius inquiramus, præcipuam reperiemus fuisse turbulenta *ingenia & in novitates prona, plerumque indocta,*

vel

vel leviter saltem literis humanioribus & linguarum cognitione imbuta, præcipue historiarum & temporum ignara, qui secum demum natam esse veritatem ineptè & imaginosè somniabant. Id demonstrari de omnibus novaturientibus potest, qui extra, præter, & contra Verbum Dei, quod in omnibus fidei articulis meridiano sole clarius est, errores suos orbi & imperitis ac credulis obtruserunt. Dubium igitur non est quin turbulenta ejusmodi ingenia in rixis & spinis semper occupata, *vel præcipua causa sint cur hodie tam malè res Christiana se habeat.*

Ideo summopere laudandum est mandatum Illustriss. Principis Friderici III. *Pii El. Palatini, quod* Confessioni *suæ Fidei, impressæ anno* 1577. *& testamento ejus insertum reperitur*: Præcipue moneo & hortor charissimos Filios meos, ut sibi quam diligentissime à turbulentis tam

Eccle-

Eccleſiarum quam ſcholarum miniſtris caveant, qui nunc in religionis & fidei negotiis, omnis generis contentiones, logomachias & exitiales condemnationes in pias Eccleſias & ſcholas, quæ tamen in fundamentis & præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus conſentiunt, & ſalutem ſuam una nobiſcum in unicum noſtrum Servatorem *Jeſum* Chriſtum collocant ex mera ambitione & perverſo zelo ac prætextu miniſterii ſui, per quod Spiritum Sanctum nondum arguere videri volunt, idque indicta cauſa nec ſine ſcandalo introducere, & non minus atque in execrando Papatu factum eſt, tam in magiſtratuum quam in ſubditorum conſcientias dominari, & ſibi novum quendam *Dominatum* & *Primatum* paſſim erigere ac conſtituere, conantur. Ex qua re ſane non

tantum & in Politica & in Ecclesiastica gubernatione distractiones & exulcerationes animorum, & utriusque illius gubernationis perturbatio & interitus sequitur, verum etiam *Papæ* & ejus satellitio præbetur occasio, veram nostram Christianamque religionem ferro, flamma, exiliis aliisque innumeris suppliciis persequendi, suamque Tyrannidem hoc modo stabiliendi; quæ res quantas & quam miserandas pepererit destructiones, miserias & calamitates, etiam nostra hac ætate, nimis prô dolor! multa in Electorum aliorumque Germaniæ Principum provinciis, nec non apud exteras & vicinas gentes, extant exempla, ex quibus merito omnes Christiani Principes, Ecclesiæ & scholæ exemplum sibi quod ex usu sit capere, ideoque summopere à turbulentis illis hominibus

& pacis ac tranquillitatis publicæ inimicis cavere, nec permittere ut ab illis occupentur, vel inter ſeſe, vel contra alios exacerbentur, aut à ſe invicem divellantur aut diſtrahantur, ſed multo potius ejuſmodi homines vitare, & fugere, & ſi nulla emendationis in illis ſpes appareat, prorſus à ſe removere diſcant. *Ita piiſſimus & religioſiſſimus Princeps & hoc ejus conſilium. Si huic aures dediſſent multi Principes, quam multa mala præcavere potuiſſent! Ejuſmodi turbulentum ingenium fuit* Jacobus *Andreæ Smidlinus, cujus unicum hoc propoſitum fuit, ita* defendere *errores inauditos ut* publice reciperentur: *calumniari orthodoxos & moderatos viros. Quid non in* Joh. *Jac. Grynæum finxit? de quo Apologia Grynæi legi poteſt: quæ non in Paræum & Heidelbergenſes Theologos? Sed quid juvat antiqua refricare vulnera & illa com-*

memorare, de quibus ipsa Historia suo loco & tempore testabitur.

Nemo autem moleste ferre debet vitia redargui; & contra communem Ecclesiæ Christianæ fidem pugnantes errores ac hæreses. Hoc privilegium Historia *habet, quod res, ut gestæ fuerunt, narrat: quod virtutes & fidem laudat, flagitia & perfidiam detestatur. Præcipuum Historiæ Ecclesiasticæ dedecus est quod ipsorum Christianorum & qui se* Catholicos Apostolicos *Romanos nominant, atroces persecutiones Ethnicis, Neronianis ac Diocletianis deteriores, commemorandæ fuerunt. Sed cum recentissima nostri temporis & superioris seculi extent horrenda exempla, quid profuisset tacere, cum cœlum, terra & totus mundus loqueretur? Cum Pedemontanæ Alpes & nivales glacies ac rupium præcipitia exclamarent vindictam, quam impietatem Pignerolæ tonitru de cœlo significare & prænunciare videtur.*

Consilium illud impium de propaganda fide, per cædes miserorum & exilia & mortes, fœcundat Ecclesiam sanguine Martyrum, & eodem successu, dum extirpare conatur Euangelium, illud propagat, quo olim Sapores Persarum Rex, quod exemplum hic apponere visum ex Sozomeno II. Eccl. Hist. 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14. *Nam quo olim astu & furore ad extirpandam Christiani nominis memoriam grassatus fuit* Sapores, *eodem hodie persecutores contra Euangelicos impie, inexcusabiliter, grassari solent. Debebant admoneri in tanta Euangelii & Rerumpublicarum omniumque scientiarum luce, ut abstinerent à Iulianeis Apostaticis sanguinolentis consiliis, ut non cæde, non sanguine cœlum conscendere vellent instar* Scipionis *Africani, de quo antiquitus dictum:*

Si fas cædendo cœlestia scandere
cuiquam est,

Huic soli Cœli maxima porta patet.

Sed ut instar Apostolorum *virtute Sp. Sancti & verbi scripti* converterent *incredulos*, convincerent *errantes*, corrigerent *pravos. Verum ipsi, successores scilicet Petri, malunt amputare, non aurem tantum* Malcho, *sed, caput* Paulo, *pellem detrahere* Bartholomæo, *lapidare* Stephanum, *fustigare* Matthæum, *crucifigere* Andream, Jacobum *decollare*, Johannem *in oleo frixare, ut inde pulchrior exurgat*, Thomam *lancinare*, Marcum *confodere, prout nuper in Pedemontio fideles omni tormentorum & mortium genere ingenti strage occiderunt, quæ quidem an sit Christianam fidem propagandi legitima ratio, vel ipsi inter eos moderatiores judicent. Certe experientia docuit, tantum abesse ut fides persecutionibus exscindi possit, ut eo latius propagetur, secundum illud Tertulliani:*

tulliani: Plures efficimur quando à Tyrannis metimur: per ipſas lucet ærumnas decus. Quo plus ſanguinis funditur, eo uberior in agro Domini conſpicitur.

Duris ut ilex cæſa bipennibus
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Quapropter in hac Hiſtoria Eccleſiaſtica præcipue hæreſes *fidem Orthodoxam* & perſecutiones *Eccleſiam Chriſtianam deſtruentes, annotare viſum, ac recentia priſcis contendere.*

Quemadmodum enim decem *ſub Ethnicis Imperatoribus perſecutiones enumerantur, Neroniana, Domitiana, Trajana, Adriana, Antoniana, Severiana, Maximinina, Deciana, Valeriana, Diocletiana: Ita etiam ſub Chriſtianis recentioribus & ab* A. CIↃC. *decem præciſe perſecutiones recenſentur.* Prima *Waldenſis ſive* Albigenſis *per Galliam præcipue Lugdunenſem &*

Aquitaniam. Secunda *Hußitica, sive Fratrum unitatis per Bohemiam.* Tertia *Lutherana per Germaniam, in qua tamen paucißimi martyrio affecti, plures vero Confessores fuerunt. Nam in* Bavaria *unus tantum* Leonhardus *Keyser, in* Ditmarshia *unus* Henricus *Zutphaniensis, trucidati.* Quarta *Zwingliana per Helvetiam, in qua* Ulricus *Zwinglius occubuit, in cujus cadaver ultra mortem impietas sæviit, quod proprium persecutionis signum.* Quinta *Calviniana, eaque duplex* Hugonotica *per Galliam,* Geusiana *per Belgium. Ibi ultra* Diocletiani & Saporis *rabiem promiscuis lanienis sævitum, & una Bartholomæi feria ipsa Galliæ flumina sanguine Euangelico rubuerunt, neque intra decem persecutiones gentilium reperiri potest quæ cum hac Gallica & Belgica comparari queat.* Sexta *Hispanica, partim manifesta, cum Philippus II. Valledoleti præstantißimos regni*

sui,

sui, prætextu hæreseos combureret, & ipse cum Gynecæo suo spectator nocturnus interesset: partim occulta per Inquisitionem, quæ instar Juliani Apostatæ clam Christianos Euangelicos vel etiam Catholico-Romanos falsis criminibus delatos in subterraneis caveis necat & oculis cadavera subducit, de qua immanitate legi potest Philippi *Camerarii Consiliarii Noribergensis liber posthumus, qui ipse Inquisitionis Tyrannidem occultam sensit & miraculose ex ea liberatus fuit.* Septima *Papalis. Quanquam enim Papa omnium persecutionum sit Princeps & author, & Reges ac Principes minis ac sub pœna æternæ damnationis ad tales innocentissimorum cædes adigat: tamen ipse imprimis in Italia, cujus caput est, vel haberi saltem vult, atrocissime per* congregationem *de propaganda fide, sive ut antiquo nomine utar,* Inquisitionem, *Christianos persequitur, ut exemplum* A. 1561. *Montalti in re-*

gno Neapolitano xj. Junii commissum, ad terrorem orbis ostendit. Octava *per Austriam, Stiriam, Carinthiam, Bohemiam, Silesiam.* Nona *Hibernica, quæ paucis mensibus plures Christianos Protestantes absumsit, quam quinque persecutiones gentilium.* Decima, *ultima & recentissima, Pedemontana Sabaudica ante decennium contra Waldenses horribili crudelitate cœpta & adhuc durans.*

Hæc omnia breviter constringere & orbi Christiano exponere visum, ut ab initio Mundi continuas inter DEI *& Satanæ civitatem luctas conspicientes, admirandam Dei in Ecclesia & Republica providentiam admiremur. Cæterum monitos volo & Bibliopolas & emtores, ne alia exemplaria quam ab* Hackiis *impressa & mea manu correcta, pro legitimis agnoscant.*

IN
HISTORIAM
ECCLESIASTICAM

Clarissimi, Celeberrimique

VIRI

D. GEORGII HORNII.

DUM fera bella canit *Mavors*, pontumque pererrat
In *Batavûm* cædes *Anglica* prompta manus:
Hic nobis *Horni* veri sacraria templi
Pandis, & ex illis optima quæque refers;
Divinique statum cultûs ab origine mundi
Ordiris docto, perspicuoque stylo,
Continuasque dein per plurima sæcula, donec
Historiæ finem tempora nostra facis.
Hinc hausisse licet, quo pacto Ecclesia prima
Ortum cum mundo cœpit habere simul;
Et servata fuit, quum mundum crimine onustum
Maxima diluvii flumina contegerent:
Ethnica Relligio tunc mundo surgere primum
Cœpit, quum late serperet impietas;
Unde Deus voluit passim servare fideles,
Divinoque palam dirigere alloquio:
Cultum per *Mosem* gentem restrinxit ad unam,
Et reliquas Satanæ tradidit imperio;
Donec per *Christum* serpentis vertice trito,
Infernas umbras dicere fata vetat:
Tum per discipulos *Christi* conversio facta,
Et tenebræ pulsæ sole oriente novo.
Non tamen oppressus serpens motare ferocem
Neglexit caudam, dira venena tulit;

Horren-

Horrendis intus turbis lacerare ſtudebat,
Ac etiam à *Chriſto* vellere membra Dei,
Cæſareaſque ſimul furias ad bella vocabat,
Contra Chriſticolas, ut foret exitio,
Ac decies movit ſtragem, qua tota revulſa,
Et pariter cæſa eſt natio viſa Dei.
Verum pax orta eſt, quum *Conſtantinus* adeptus
Imperium voluit ſubdere ſceptra Deo:
Hæc inter crevit pietas, majorque fuiſſe
Viſa eſt, quum ſplendor prodiit ille novus,
Quo Patriarcha ſibi titulos quæſivit inanes.
Inde thronum in templo conſtituiſſe patet.
Sic tandem faſtus *Papæ* prorumpere cœpit,
Atque loco *Chriſti* templa tenere Dei:
Nunc impoſtor adeſt*Muhamed* ſeductor inOrtu,
Qui populum *Chriſti* depulit arte ſuâ.
Poſt hæc Papatus tenebræ: tum lumine puro
Doctrinæ veræ ſol micat in tenebris.
Hæc & plura tuus loquitur tractatque libellus,
Quem mortale genus tempus in omne leget:
Donec erit *Chriſti* florens Eccleſia mundo,
Hiſtoricos inter luce coruſcus eris:
Denique civilem pergis conjungere libro
Hiſtoriam, mira quæ brevitate nitet;
Ut, qui divini cætus evolvere tentat
Geſta, rudis mundi non eluat hiſtoriæ.

JOH. LUD. BACHERUS.

GEORGII

GEORGII HORNII

HISTORIA ECCLESIASTICA,

A

Condito Mundo ad nostra Tempora.



ISTORIAM ECCLESIASTICAM breviter & succincte interpretari animus est, varias ob causas, quas inter præcipuæ hæ sunt:

1. Quoniam Professionis meæ pars prima & suo jure præcipua est. Quantum enim animus corpori, cœlestia caducis, æterna perituris præstant: tantum quoque Historia Ecclesiastica profanam & Politicam dignitate, excellentia & usu superat. De qua illud Hieronymi dici potest: *Discamus ea in terris quorum scientia perseverat in cœlis.*

2. Quoniam in plerisque Scholis & Academiis, magno cum Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento neglecta jacet. Adeo plerique Livio potius aut Tacito, quam Sacrarum rerum Scriptoribus delectantur, & malunt audire Punica bella vel Alexandri res gestas, quam Ecclesiæ cruenta certamina, motus & vicissitudines.

3. Quoniam plane necessaria est ejus cognitio, tum illis qui in Ecclesia, tum qui in Rep. administranda versantur. Ut exinde veram sibi prudentiam, judicandi de rebus & casibus gravissimis in Ecclesia & Republica, comparare queant,& ex collatione præteritorum cum præsentibus & futuris, intelligant mirabilem Dei providentiam in conservanda Ecclesia inter medias vel Tyrannorum persecutiones, vel Hæreticorum oppugnationes: ac quibus artibus, quo cum successu, Occidentalis pariter & Orientalis Antichristus, *Papa* Romanus & *Muhammed*, caput extulerint, & Ecclesiam pene funditus deleverint.

Sed instituti brevitas non permittit prolixius præfari. Igitur, quod Deus bene vertat,ad rem ipsam accedimus. Historiam Ecclesiasticam ab ipso Mundo condito ad Christi nativitatem, inde ad nostra usque tempora strictim & per summa capita expositnri, ita tamen, ut nihil, quod ad plenam totius historiæ seriem spectat, prætermittatur.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ *à condito Mundo ad natum Christum tres magnæ & insignes Periodi constitui possunt:*

1. *A creatione ad Mosen.*
2. *A Mose ad captivitatem Babylonic.*
3. *A captivitate Babylonica ad nativitatem Messiæ Jesu Christi.*

Singulæ periodi suis iterum Articulis velut membris primariis constant ac subdividuntur.

PERIODUS I.
A creatione ad Mosen.
ARTICULUS I.
A Creatione ad Diluvium.

CUM primi Parentes nostri instinctu Satanæ per transgressiouem legis in Paradiso latæ à Deo defecissent, ac temporalis pariter & æternæ mortis reatum contraxissent, Deus, pro immensa bonitate sua, lapsos, promissione seminis benedicti erexit, ac credentibus in illud statuto tempore nasciturum, veniam peccatorum & vitam æternam promisit. Ita primam & antiquissimam Ecclesiam Patriarcha ADAM in familia sua & posteritate constituit, & studiose illis inculcavit do-

ctrinam de Deo, creatione, lapſu, miſeria, ſemine mulieris, liberatione à poteſtate Satanæ, cultu Dei externo & interno, Sacrificiis, Reſurrectione & judicio. Tradunt Rabbini ſex hæc præcepta accepiſſe Adamum:

1. *Celebrandam divini nominis majeſtatem.*
2. *Iura mortalibus dicenda.*
3. *Sanguinem humanum non fundendum.*
4. *Idola non colenda.*
5. *Nec rapinas exercendas.*
6. *Inceſtus vitandos.*

Cunæus I. de Rep. Ebræor. 1.

II. Hujus Eccleſiæ ſedes extra Paradiſum fuit, ſive in Syria ſive contiguis regionibus: nam id certo non conſtat: nec operæ pretium eſt fabulas quorundam repetere. Ipſe autem Paradiſus terreſtris cœleſtibus ignibus, ut Sodoma & Gomorrha, deſtructus videtur: quoniam in Babylonia, ubi haud dubie fuit, integri tractus igne, naphta & ſulphure flagrantes reperiuntur, teſte *Curtio*, *Strabone*, *Plutarcho* & aliis. Et ipſe Moſes exertim meminit *flammæ gladii ſeſe vibrantis.*

III. Quod tempus cultus divini ſpectat, diem ſeptimum ab ipſo Deo, peracta creatione, quieti & ſacris deſtinatum, jam à primo noſtro Parente Adamo quoque obſervatum credimus ex cap. 2. Geneſ. Nam quod viri quidam docti locum de Sabbatho ibi tantum per anticipationem volunt

volunt inferi, adeoque negant Sabbathum cultui divino exercendo inde usque à creatione fuisse destinatum, opinio, non adeo firmis fulta argumentis est. Simplicius omnino credimus Mosi docenti: *Deum post finitam creationem benedixisse diei septimæ eamque sanctificasse.* nec ulla hic opus anticipatione.

IV. Erudiebatur primitiva hæc Ecclesia non nisi vivæ vocis præconio. Nulla adhuc Scriptura extabat. nec verisimile quod *Iosephus* l. 1. c. 3. de duobus Sethi columnis in Syria extantibus refert. Liber autem Enochi qui circumferebatur olim, & cujus hodieque fragmenta extant, apocryphus & fabulosus in Græcis Eusebii Scaligeriani. Judæi alium sub Enochi nomine legebant & approbabant, cujus *Iudas* in Epistola meminisse nonnullis videtur. Verum ille nullius libri ab Enocho scripti, sed *Prophetiæ* tantum meminit. De quo vide J. Drusium in Hanocho.

CAINITÆ.

I. Hujus sanctissimæ Ecclesiæ Adamicæ primus conturbator *Cain* fratricida fuit, qui etiam propter impœnitentiam, ipsius Dei sententia, ejectus, impia dogmata & blasphema inter suos propagavit. *Iud.* ep. 10. 11. 2 Pet. 2. 14. Heb. 11. 4. Quæ autem ejus hæresis fuerit, non commemoratur distincte, sed haud dubie præcipua ejus capita fuerunt tria:

1. *Abnegatio seminis benedicti.* Sunt qui existiment Evam edito in lucem Caino putasse illum esse semen promissum ex Gen. 4. Sed illius loci sensus aliis alius esse videtur.

2. *Idololatria.* Quod tamen multi negant asserentes, nullam fuisse Idololatriam, vel Idola ante linguarum confusionem, argumento sane infirmo & nullius ponderis hoc, quod quamdiu una tantum fuerit lingua, nulla fuerit Idololatria. Sic Lactantius lib. 2. Inst. cap. 14. *Errant qui Deorum cultus ab initio rerum fuisse contendunt.* Fuisse Idololatriam jam Enosi tempore ex Genes. 4. 26. viri docti probant vertentes: *tunc cœptum est profanari invocando nomen Domini.* Ex quo loco id erudite probat Seldenus de Diis Syris. Quanquam etiam alius ejus loci sensus esse possit: tunc in publicis cætibus cultum divinum exercitum, adeoque familias in Ecclesias passim coivisse. Deinde Gen. 6. 5. ubi extrema antediluvianorum impietas describitur, etiam *figmenti ingenii humani* mentio fit, quod de Idololatria accipit Paulus Rom. 1. 22. 23. Haud dubie Luminaria cœlestia, Sol, Luna, Planetæ, Dæmones itidem & Heroes sacrificiis culti in corruptissima hac Cainitarum secta. Nomina Idolorum ante diluvium cultorum portentosa refert Alcoranus Azoara LXXXI quæ sunt Wadda, Suwha, Jagowk & Nasrà.

3. Cor-

3. Corruptio Sacrificiorum, quorum verum finem initio statim defectionis suæ corrupisse Cainum ex Gen 4. & tristi fratricidio patet.

Ex quibus postmodum alii tetri & damnabiles errores fluxerunt, imprimis de mortalitate animæ, quam impietatem ipsi Caino adscribit Targum Hierosol. in Paraphrasi cap. iv. Gen. his verbis: *Non est judicium, nec est Iudex, nec seculum aliud quo aut merces tribuenda sit justis aut vindicta de impiis sumenda.* Et huc imprimis spectat colloquium inter Christum & Adami filios, quod tanti fecit Philippus Melanchthon, ut in Epist. ad Nob. & Generos. Com. Joh. à Weda, totum eleganter descripserit, ubi cum Cain confessionem suam ederet, inter alia impia dogmata inquit: *de immortalitate animæ tunc videro cum ex hac vita discessero.* Hæc Cainitica impietas successu temporis ita crevit, ut totum pene humanum genus occuparit, ac vera Ecclesia funditus perierit, per apostasiam filiorum Dei ad Cainitas. Gen. 6. 1 Pet. 3. 19. c. 4. 6. 2 Pet. 2. 5. Lamech etiam bigamiæ author fuit.

Articulus II.

A Noacho ad Abrahamum.

I. Huic Cainiticæ impietati fortiter se opposuit præco justitiæ Noachus, instaurator orthodoxæ religionis, sed nullo cum successu; adeo ut tandem Deus

universum genus humanum, penitus corruptum ac depravatum, diluvio terris immisso delere,& extirpare pessimam progeniem constituerit. Quod & factum est. Conservatus cum familia sua, octo hominibus, in arca Noachus, siccato iterum orbe, sacrificia Deo obtulit & ab eo gratiosas promissiones accepit, simulque Prophetico spiritu servitutem Chami ac gentilium conversionem prædixit. Volunt Rabbini, tum ad sex illa præcepta Adamo data septimum fuisse additum: *membrum vivi animalis non esse comedendum.* Cunæus 1. de Rep. Ebr. 1.

II. Hic Chamus optimi Patris pessima proles, vestigiis Caini insistens, ejus hæresin & damnatos errores postliminio reduxit, quod factum Babylone creditur, ut quæ omnis Idololatriæ mater. Ac tum confusis linguis ac gentibus per universum orbem dispersis, Ethnica religio exorta fuit. De qua nunc dicendum est.

ETHNICA Religio est vel *communis* vel *singularis*.

Communis his articulis continetur.

1. *Esse Deum.* Hoc enim omnes gentes crediderunt.

2. *Solem, Lunam, Stellas*, ut Deos, colendos.

3. *Homines bene meritos in numerum Deorum transscribendos.*

4. *Sacrificia Diis exhibenda*: quin nec ab

ab humanis, si res poscat, abstinendum. Modus tradendi hanc Theologiam fuit *ænigmaticus* & *mysticus*. Multa insuper retinuerunt ex sacris deprompta literis, sive ex earum lectione hausta sive ex conversatione cum Judæis, ut notitiam creationis mundi, diluvii, extremi judicii, pœnæ inferorum & alia, ut ostendit *Theophylus* Antiochenus l. 2. ad Autolycum.

Singularis distinguitur in *Feram* & *Cultam*.

Fera erat barbararum gentium, *Scytharum*, *Celtarum*, *Sarmatarum*, qui communem religionem retinuerant: unde & cæteris, propter simplicitatem contemtui erant. Hos notari putant Col. 3. 11.

Culta est, quam novis dogmatibus, ritibus & ceremoniis expoliverunt: estque quadruplex, *Chaldaica*, *Ægyptia*, *Hellenica*, *Romana*.

CHALDAICA præcipue in cultu siderum versabatur, cui etiam *Abram* addictus fuit, Jos. xxiv. 2. Huic vicina erat Phœnicia, quam *Sanchuniatho* descripsit, de qua Euseb. 1. πρ𝔬παρ. c. 6. Deus his præcipuus, Sol sive ignis. Idola, Beli Mithræ, Mylotha sive Urania.

Ægyptia in multis conveniebat cum Chaldaica: sed insuper variorum animalium & plantarum cultum instituit. Nam jam Mosis ævo apud Ægyptios brutorum ἀποθέωσις, ut ex Exod. 8. 26. Deut. 4. & aliis late probat Seldenus de Diis Syris. De

qua Juvenalis in Satyra. & Euſeb. 2. πρ9π. Horum Deus ſupremus *Aqua*. Idola, *Apis*, *Oſiris*, *Iſis*.

HELLENICA ſive Græcanica ab Ægyptiis & Chaldæis ſua hauſit, multis de novo inventis & additis. Hanc Græcis primus tradidit *Cadmus* teſte Euſeb. l. 10. πρ9π. c. 2. imprimis excoluerunt Poëtæ, *Linus*, *Muſæus*, *Orpheus*, *Homerus*. Itemque Sacerdotes & Legumlatores. Diſtinguebatur in μυθικὴν, φυσικὴν & πολιτικὴν, de qua diſtinct. Euſ. 4. πρ9π. Auguſt. l. 6. C.D.

ROMANA, quam Numa Pompilius condidit, Hetruſcorum & Albanorum de Religione placitis, nec non Pythagoræorum opinionibus inſiſtens. Hanc Varro multis libris deſcripſit, qui omnes interciderunt, fragmenta apud Auguſtinum paſſim extant.

De Ethnicis notandum, eos omnem atheiſmum & Religionis innovationem graviter puniviſſe, ac contemtæ religionis acerrimos vindices fuiſſe. Sic Athenienſes *Anaxagoram*, quod Solem, quem Deum putabant, μύλον εἶναι διάπυρον lapidem molarem igneum adſeruiſſet, morte mulctandum judicarunt, ac complures etiam fœminas ob ſpretas ceremonias capitis ſupplicio affecerunt. Joſeph. 2. adv. Apionem. Iidem *Diagoræ* caput talenti pretio expoſuerunt, quod ſacra eorum riſiſſet. *Protagoram* quoque, niſi aufugiſſet, capite puniviſſent. Tatianus πρὸς ἕλλην. Eadem

dem Romanorum ſeveritas fuit: unde atroces illæ Chriſtianorum perſecutiones poſtea fluxerunt, de quibus infra.

ARTICULUS III.

Ab Abrahamo ad Moſen.

I. INterea Deus veram Religionem in ABRAHAMO Patre omnium fidelium excitavit & ad poſteros ipſius reſtrinxit. Tum temporis valde illuſtratus fuit articulus de *ſemine benedicto*, quod ex ſemine Abrahami oriturum Deus multoties repetitis promiſſionibus confirmavit. Inſtituta inſuper fuit circumciſio, fœderis Euangelici cum Abrahamo initi primum Sacramentum. Nam hactenus quidem promiſſio gratiæ extiterat, ſed non ſub forma fœderali, Sacramento & mutua ſtipulatione confirmato, quod demum Abrahami tempore contigit. Quamvis enim vox fœderis in Noachi hiſtoria Gen. 9. 9. 11. occurrat, haud quaquam tamen ſtricto ſignificatu deſignat fœdus, ſed late ſumitur pro ordine quem Deus in natura conſtituit: nec deſignat fœdus ſpirituale, ſed promiſſionem carnalem externam de non exſcindenda terra per diluvium, quæ confirmatur ſigno arcus cœleſtis. Hoc fœdus Abrahamicum una cum vera Religione propagatum in ejus familia per Iſaacum, Jacobum ac duodecim Patriarchas, maxime in Ægypto, ſed non abſque corruptione, ſub gravi illa ſervitute.

II. Nondum tamen plane vera religio in gentibus exstincta erat. Nam MELCHISEDEC præco Orthodoxus & Sacerdos Dei altissimi inter Jebusæos floruit. De quo quis fuerit varie controvertitur, aliis Semum hoc nomine appellatum existimantibus, nec repugnant tempora. Sed ipsa Scriptura curiositati huic occasionem præscindit, cum ἀπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον fuisse refert. Alii non hominem, sed ipsum filium Dei, Messiam fuisse, contendunt; quorum opinionem P. Cunæus defendit. Nec Abimelec alienus fuit ab Abrahami doctrina Gen. 20. & ipse Pharao non videtur omnem notitiam Dei exuisse. Gen. 12. Job vero & amici ejus rectissime de divinis mysteriis disseruerunt, inprimis de resurrectione c. 19. 25. & providentia c. 33. 24. ac passim toto libro.

III. At Diabolus Idololatriam suam studiose per universum orbem propagabat; seque gentilibus manifestavit tum oraculis tum vaticiniis. Oracula celebriora & antiquiora fuerunt Jovis Ammonis à Chamo ita dictum in Lybia, de quo Herodot. l. 2. Diod. 1. Bibl. Jovis Dodonæi à Dodanim Japheti filio in Epiro, & quod maxime frequentabatur Apollinis Delphici in Phocide. Hic interrogantibus ex tripode ambigua ac fallacia responsa dabat malus genius, atque etiam impostores vanam hominum credulitatem fictis respon-

ſis illudebant, ut Euſeb. l. 5. περ. c. 10. multis exemplis oſtendit. Unde ſagaciores gentilium, Peripatetici, Cynici, Epicurei, oracula tanquam vana irridebant. Euſeb. l.4 περ c.2. Præter oracula, etiam vaticiniis ſuos edocuit diabolus per *Magos, Chaldæos, Aſtrologos, augures, haruſpices*, quæ diſciplina in univerſum Magia dicebatur, reperta primitus, ut Juſtinus & Marcellinus volunt, à Zoroaſtre: inde à Chaldæis ad Ægyptios, ab his ad Græcos delata, quam Democritus aliquot voluminibus complexus eſt. Nec barbaræ nationes ejus expertes erant. Nam apud Gallos, Britannos, Germanos *Druydæ, Bardi, Eubages*, apud Hiſpanos *Turditani*, apud Indos *Brachmanes*, ea fungebantur. Conſiſtebat autem in Divinatione, quæ ſomnia interpretabatur, futura prædicebat: in aſtrologia judiciaria, auguriis, haruſpicina. Præter hos etiam fœminæ faticidæ erant, quas *Sybillas* Æoles, Chaldæi *Sambethas* appellabant, quarum vulgo X. numerantur, *Chaldaica, Perſica, Libyca, Delphica, Cumæa, Erythræa, Samia, Cumana, Amathæa, Helleſpontica, Phrygia, Tiburtina.* In earum carminibus illuſtria de *Trinitate, Nativitate Chriſti, morte, reſurrectione, aſcenſione, judicio*, extant teſtimonia, de quibus valde dubitatur, *an Deus mulierculis gentilium talia myſteria revelarit*, ut volunt

Bellar-

Bellarminus, Baronius, Hyperius, Bucanus, & alii: an vero *carmina illa sint supposititia, ac dolo bono à Christianis adulterata*, ut volunt Casaub. Ex. I. contra Baron. sect. x. Becmannus Ex. 14. contra Photinianos, qui prolixe de ea controversia, & alii. Postea sub Honorio à Stilicone exusta fuerunt.

PERIODUS II.
A Mose ad Captivitatem Babyl.

ARTICULUS I.
A Mose ad Samuelem.

MOSES Clarissimus V.T. Theologus & Legislator Ecclesiam Israëliticam fundavit, ac omnes Religionis articulos insigniter illustratos in Pentateucho descripsit. Nam hactenus Ecclesia verbo Dei non scripto & divinis tantum oraculis regebatur. Et Genesin quidem in exilio Midianitico à Mose scriptam fuisse Philo & Eusebius putant, quod ut incertum relinquimus. Nec non illud, an libri quoque JOB scriptor Moses fuerit, ut vulgo putant; Controversum etiam est, an Deus scripserit Decalogum, quod Scriptura videtur innuere; an vero Mosis ministerio ad id usus fuerit. Id probabile admodum videtur, à socero Mosis Jethrone Midianitarum Principe & Sacerdote, illas Æthiopum Arabumque nationes ad mare rubrum

rubrum accepisse circumcisionem & alia vera Religionis dogmata, quæ mox iterum relictis tantum vestigiis quibusdam evanuerunt. Consentiunt Rabbini teste Munstero ad c. 1. Jud.

II. Huic verbo scripto vanitas Judaica mox apposuit Verbum non scriptum, *Cabbalam* & traditiones, quas ab Adamo ad Mosen per Patriarchas volunt propagatas, Mosi vero in monte Sinai plenissime revelatas, à quo ad Josuam, ab hoc ad LXX. Seniores sive magnum Synedrium pervenerint, de quibus videatur Petrus Galatinus Aperte autem ab ipso Deo damnantur. Deut 4. 2.

III. Mox tamen Israelitæ in deserto ad Idololatriam defecerunt. Ex. 23. Num 25. non diu tamen in illa defectione perseverarunt: sed multoties ad illam insaniam reversi vix multis plagis ab Idololatria absterreri potuerunt.

ARTICULUS II.

A Samuele ad Salomonem.

SAMUEL rursum Orthodoxiam introduxit & sub Saule propagavit. Quem in Regno DAVID secutus, sub quo purissima V.T. Ecclesia fuit. Accessit sub SALOMONE splendidissimum templum, Religio tamen circa finem ejus corrumpi & Idololatria introduci cœpit. Egisse pœnitentiam Salomonem cum multa alia ostendunt

dunt argumenta, tum Ecclesiastes sufficiens testimonium est.

ARTICULUS III.
A Samuele ad captivitatem Babylonicam.

SUB *Rehabeam* sicut Regnum, ita quoque Ecclesia, grave detrimentum, decem tribuum defectione, sensit. Nam *Ieroboam* novi regni invasor, Idololatriam, vitulis in Dan & Bethel positis, invexit, quam impietatem successores ejus pertinaciter retinuerunt, omnium autem gravissime auxit *Achabus*. Nec Judæ regnum ad hoc malo immune sub impiis Regibus, inprimis Achazo & Manasse, fuit. Opposuerunt se pii Reges, *Iosaphat*, *Ezechias*, *Iosias*. Prophetæ item *Elias*, *Elizeus*, sed radices impietatis penitus evellere non potuerunt.

ARTICULUS IV.
A captivitate Babylonica ad reditum Iudæorum.

I. DEportato in Assyriam populo tum Israelis tum Judæ, vera Ecclesia penitus quasi exstincta videbatur. vid. Lib. Tobiæ. Decem tribus in remotas Orientis regiones avectæ, ibidem manserunt, nec constat in hunc diem, quo pervenerint. Quidam inde *Tartarorum* originem derivant; sed nullis argumentis. Certum est in Sina & India hodieque multos esse Judæos, sed incertum an ex decem tribu-

bus. In eorum locum coloni ex Assyria in Palæstinam ducti sua sacra cum Judæorum ritibus miscentes novam procuderunt religionem, quæ *Samaritanismus* dicitur. 11 Reg. XVII. Epiph. l. 1. Pan.

II. Judæi vero à NEBUCADNEZARE abducti vel priscis inhærebant superstitionibus, vel ad Hellenismum deflectebant. *Ezechiel* tamen & *Daniel* veram Religionem apud plurimos instaurarunt, quæ etiam magnis in Nebucadnezare, Balthasare, Dario Medo, Cyro, miraculis confirmata fuit. Quod vero nonnulli Patrum, ut Irenæus l. 3. c. 25. Tertull. de hab. mulier. Euseb. 5. Histor. Eccl. 8. August. l. de mirabilibus Scripturæ, volunt in Hierosolymæ incendio sacra Biblia periisse, id de *autographis* Mosis & Prophetarum, non vero *apographis* concedimus. Prophetæ enim captivi Scripturas legebant. Dan. 9. & tum Patres quidam, tum Judæi Scripturas ab Esdra collectas & in ordinem redactas volunt. *Athanas.* in Synopsi. *Epiphan.* de Epicureis hær. 8. *Hilar.* præfat. in Psalm. *Kimchi*, Elias Levita. Argumentum ex 4 Esdræ 14 nihil probat, quia liber ille etiam Bellarmino fabulosus. Alii libros sacros in Canonem relatos volunt à viris Synagogæ Magnæ, quorum cxx. interque eos *Esdras*, *Nehemias*, *Zacharias*, *Haggæus*, *Malachias*, *Iosua* summus Sacerdos.

Sed

Sed ordo librorum videtur sequioris ævi: quia *Daniel* inter hagiographa, contra omnem rationem refertur. Quod non videtur ab Esdra factum. Ergo à Rabinis qui etiam textum Biblicum diviserunt in certas sectiones sive פרשות numero LII. ut annuo spatio, lectione Sabbataria, absolveretur.

PERIODUS III.

A Captivitate Babyl. ad Christum.

ARTICULUS I.

A Captivitate Babyl. ad Hasmonæos.

I. SOluta Captivitate Babylonica vera Religio reviviscere cœpit. Præcipui Ecclesiæ Doctores tum erant *Zorobabel*, *Nehemias*, *Esdra*, *Haggæus*, *Zacharias* & *Malachias* ultimus Prophetarum V. Test. Ab his Templum instauratum: cujus tamen splendor haudquaquam ad primum illud Salomonis accessit. Quinque in eo defuisse tradunt Judæorum Magistri, *Ignem*, *Arcam*, *Vrim* & *Tummim*, *Oleum unctionis* & *Sp. Sanctum*. Galatinus l. 4. contra Judæos. His etiam temporibus V. Test. ex Hebræo in linguam Græcam conversum fuit, sive impulsu Judæorum Alexandrinorum, Hellenistarum, sive jussu Ptolomæi Philadelphi. Quæ vulgaris opinio. Quæ autem de LXX. Inter-

Interpretibus dicuntur, de cellulis eorum & mutuo consensu, partim incerta, partim manifeste conficta sunt & ex c. XXIV. Exodi deprompta, ut Jos. Scal. Heinsius, & alii ostendunt. Hæc versio in multis erronea & haudquaquam authentica est, licet Apostoli & Euangelistæ subinde citent: non enim semper, ut patet ex Matthæo 2. 15. Joh. 19. 36. 1 Cor. 2. 9. Versio autem LXX. quæ hodie extat, vel diversa est ab ea, qua Apostoli usi, ut Beza vult ad Luc. I. 17. vel in multis mutila & corrupta. Cur autem non citius à gentilibus versa fuerit, ejus causam fuisse volunt, quod Deus tale quid molientes, Theopompum mente, Theodotum oculis spoliarit. *Euseb.* 8. πρϑπ. 1.

II. Turbata iterum fuit Religio à Samaritanis, qui, cum impetrassent ab Alexandro M. ædificationem templi in monte Garizim, Judæorum cærimonias æmulati, plurimos ad defectionem impulerunt. Originem suam à Jacobo ejusque filiis deducebant. Joh. 4. 5. Joseph. Mosis tantum scripta sive Pentateuchum admittebant, rejectis reliquis Hagiographis. Messiam expectabant & unum Deum colebant, sed præter eum Idola etiam ignota in monte Garizim reperta: Crimen, quod duabus literis עז velut cauterio quodam in Samaritanis Judæi notabant. Multa tamen in eorum odium confinxerunt Judæi, ut

quod

quod in Pentateucho ipsorum tres hæ literæ חעת desint, ac initium Geneseos ita habeant: *In principio creavit Deus Azima*, qui Hamathitarum Deus: quod circumcisionem peragerent in nomine Columbæ, quæ falsa esse testatur Seldenus & alii. Versio tamen Pentateuchi Samaritana in multis nimium quantum ab Hebræa veritate discrepat, ut ostendit Selden. de Succes. ad Leges Ebræor. c. 27. & Hottingerus prolixe. An vero literæ Samaritanæ sint priscæ Hebræorum valde controvertitur. Nobis videntur esse Assyriacæ.

Mox & hi Samaritani in quatuor Sectas divisi *Gortenos*, *Seveos*, *Esseos & Dositheos*. Hi ultimi asperiores, ut apud nos Monachi. Mobiles *Essei*, cum quibus degebant, eorum sectabantur dogmata. *Gorteni* propius ad Judæos accedebant. *Sevei* recedebant longius. Templum permissu Alexandri M. in monte Garizim, Hierosolymitano æmulum extruxerunt, cumque cærimonias quoque observarent Mosaicas, ac Sacerdotes suos Aaronis posteros esse jactarent, multos Judæorum ad hæresin suam seduxerunt.

III. Inter gentes medio tempore *Hellenismus* florebat, cujus præcipui doctores Philosophi censebantur. Horum quatuor nobiliores sectæ, *Platonica*, *Peripatetica*, *Stoica & Epicurea*. PLATONICA Theologia cæteris sanior fuit: adeo ut sua

dogmata ex Mosis lectione hausisse Platonem voluerint Justinus Martyr & August. 8. C. D. 18. quod tamen minus probabile; & in Scholis Christianis Alexandriæ & alibi, velut Propædia Religionis Christianæ fuerit, & ejus præceptis juventus imbuebatur, ut melius capesseret Theologiam Christianam. PERIPATETICA cum Pythagoricis communia multa habuit. Ejus Auctor *Aristoteles*, qui se contradicendi studio Platoni, Præceptori suo opposuit. Multa egregia habet de Unitate Dei, sed simul graves errores, ut *mundum esse æternum*, *Animarum immortalitas* ambigue ab eo asseritur. *Stoica* à στοᾶ porticu dicta, asperior erat ac fatum inprimis asserebat, id est, cogentem necessitatem cum mortis ac calamitatum contemtu. *Epicuræa* omnium absurdissima. *Epicurus* enim *omnem Religionem & cultum Dei sustulit*. Lactant. l. de Ira Dei, c. 8.

ARTICULUS II.

Ab Hasmonæis ad Christum.

I. POstea Ecclesia Judaica gravissimis affecta calamitatibus, quarum duæ inprimis causæ. 1. Bella Regum Syriæ & Ægypti. 2. ambitio Pontificum Judæorum eorumque schisma. Ergo primum Judæi Ægyptii minis *Ptolemæi* Philopatoris territi, magno numero ad Hellenismum defecerunt: deinde *Antiochus* Epiphanes

ducto

ducto in Judæam exercitu Hellenismum ibi, excisa penitus Judaica religione, summa tyrannide introducebat, cui se opposuerunt *Matathias* cum filiis, & non Politiam tantum, verum & Religionem horrendis bellis asseruerunt. De quo libri Maccab. & Josephus.

II. Mox novum hac occasione malum Ecclesiæ exortum est. Nam cum Onias Oniæ III. vel secundum alios, Simeonis Justi filius, eo quod primogenitus non esset, Pontificatum adipisci nequiret, in Ægypto Regis permissu, cui oraculum Jes. 19. 18. exposuerant, templum Hierosolymitano æmulum, Alexandriæ ut Thalmudici, vel ut Josephus l. 12. 15. l. 13 6. l. 20. 8. Leontopoli struxit, ejusque se Pontificem multis allectis sectatoribus constituit. Quod Schisma usque ad excidium Hierosolymæ sub Tito Vespasiano duravit. Vide Seld. l. de success. in Pontif. Hebræ. 8.

III. Et ne hoc ultimum malorum esset, tum perversæ inter Judæos exortæ Sectæ, puritatem doctrinæ magis magisque corruperunt, quarum præcipuæ recensentur, *Scribæ* & *Pharisæi*, *Sadducæi*, *Esseni*, *Hemerobaptistæ* & *Herodiani*. Epiphan. 1. Pan. Josephus tres tantum recenset l. 13. c. 9. l. 18. 2. Pharisæos, Essæos & Sadducæos.

PHARISÆI ita dicti Hebræa voce פרצים quasi

quaſi dicas ἀφωρισμένους Segreges & Separatos vel eximios. Eorum origo ita habet: Paulo ante Chriſtum natum duo Judæorum Doctores, *Sammai* & *Hillel* florebant, qui legem ſecundum traditiones interpretandam ſibi ſumſerunt. Eorum ſectatores *Phariſæi & Scribæ* dicti. *Scribæ* qui in lege interpretanda occupabantur. Reliqui in univerſum *Phariſæi*. Dogmata horum præcipua erant.

1. *Omnia fato fieri.*

2. *Bonorum animas ex corpore in corpus migrare, malorum æternis ſuppliciis excruciari.*

Quod vitam eorum ſpectat & mores, ſingularem quandam affectabant ſanctitatem & continentiam, multum dediti orationibus in propatulo & eleemoſynis, quas ad tubæ ſonitum ne ſpectatores deeſſent, erogabant. Omnia ipſorum ad externam pompam comparata erant, & hypocriſin, quam Chriſtus, cum paſſim, tum in primis graviter Matth. 23. reprehendit. Nulla Secta majorem, in populo & apud Reges ipſos, autoritatem obtinuit. His longe deteriores erant SADDUCÆI, ita dicti à Tzaddok præceptore. Hi negabant cum Epicuræis *Providentiam, mortuorum Reſurrectionem*, *Angelos* & *Spiritus*. Moribus erant aſperis, feris & inhumanis. ESSENI, vitæ ſanctitate & ſimplicitate conſpicui, ſacrificare in templo nolebant.

lebant. vide Philonem. Euseb. 8. πρ. 9. Iidem relicto literali & Historico sensu mysticum amplectebantur ac Symbolicum, teste Euseb. 8. πρ. 3. 4. & alibi passim. Bona omnia habebant communia. Uxores non ducebant, non quod matrimonium abominarentur, sed quod mulierum mores vitandos censerent. Euseb. 8. πρ. 4. & l. 9. 1.

Hemerobaptistæ cætera similes Pharisæis, nisi quod cum Sadducæis animarum immortalitatem & resurrectionem negarent, quotidie baptizabantur, unde & nomen acceperunt.

Herodiani Herodem pro Messia sive Christo colebant: vel, secundum alios, aulici erant & familiares ejus.

Harum igitur Sectarum erroribus Ecclesia tum misere scissa fuit, quarum etiam hoc commune erat dogma: *regnum Messiæ terrenum fore ac ejus adventu jugum servitutis corporalis à Iudæis sublatum iri.* Orthodoxia apud paucos mansit, *Simeone* Seniore, quem fabulose eundem tradunt esse cum Simeone Justo Pontifice, unum ex LXX. Interpretibus & vixisse per CCCL annos. Seldenus I. de success. in Pontif. Hebr. 7. 8. *Zacharia*, *Anna*, parentibus Mariæ, *Iosepho* & nonnullis aliis. Luc. 1. 2. 3. Matth. 1. Marc. 1. Atque hæc est Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti.

HISTO-

GEORGII HORNII HISTORIA ECCLESIASTICA N. TEST.

Complectitur III. magnas Periodos.

I. *A Christo ad originem Antichristi.*

II. *Ab origine Antichristi ad Reformationem.*

III. *A Reformatione usque ad nostra tempora.*

PERIODUS I.

ARTICULUS I.

A Ioh. Baptista ad excessum Apostolorum.

I. NOvi Teſtamenti Hiſtoria initium cepit ſub regno Herodis Magni Regis Judæorum. Tum enim impleta fuit antiquiſſima Patriarchæ Jacobi Prophetia: *Non auferetur ſceptrum à Iuda, neque legislator à pedibus ejus, donec veniat Siloh.* Ubi per Iudam non intelligenda tantum tribus Iudæ, verum tota Iudæorum natio, quæ ex tribu Iuda, Benjamin & Levi conſtabat. Nam à tribu Iuda ſceptrum jam erat ablatum poſt Zedekiam extinctum, qui ultimus ex familia Davidis Iudæorum Rex. Poſt captivitatem Babylonicam Reges iterum Iudæa accepit ex Haſmonæorum familia, qui Levitæ

erant, adeoque tunc ad tribum Levi sceptrum Judæorum translatum fuit. Ultimus ex his regnavit *Antigonus*, quem Herodes regno pepulit atque occidit. Hic finis sceptri Jehudæ. Nam post Antigonum regnare cœperunt alienigenæ, exteri, quorum primus Herodes. De quo quis fuerit nunc videndum est.

II. HERODES Magnus Antipatri Idumæi Sacerdotis Ethnici ac postea Judææ Tutoris, filius fuit. Ex quo apparet Herodem neque regia stirpe nec Levitica ortum, sed de Idumæorum gente, insititium fuisse Judæum. Non enim Idumæi vere Judæi erant, sed habiti modo appellatique fuerunt Judæi, ex quo tempore eos Hyrcanus religiones cerimoniasque suscipere veri numinis coëgisset, cum antea Deum, nescio quem, COSAN colerent, cujus sacra semper custodierat illustris in ea natione Costobarorum familia. Herodes initio Ezechiam latronem, cum multis aliis, inauditos indemnatosque supplicio affecit. Accusatus coram Synedrio armatus judices perterruit, Simeone Josto (hic est ille qui postea Christum ulnis sustulit) supplicio dignum pronunciante. Post mortem Antipatri Romam navigat & ab Antonio & Augusto Rex Judæorum creatur. Sed triennium ei restitit Antigonus Rex. Igitur Herodes Hierosolymam obsedit, acerrime alienigenæ Regi repugnantibus

Judæis.

Judæis. Tandem urbs expugnata tanta cum crudelitate, ut ipſe Herodes rogitaverit: *an ſe ſolitudinis Regem facturi eſſent Romani*. Antigonus ultimus Haſmonæorum crucifixus & poſtea ſecuri ab Antonio percuſſus. Herodes regno potitus in primis Auguſtum coluit, Judæis infenſiſſimus & exoſiſſimus. Quos ut aliquo modo placaret, Templum plus quam regio ſumtu inſtaurare aggreſſus, decennio opus abſolvit. Occidit uxorem Mariamnen: duos filios Alexandrum & Ariſtobulum. Unde per jocum Auguſtus: *malle ſe Herodis porcum quam filium eſſe.*

III. Herodes favore primum M. Antonii, mox Auguſti regno Judæorum potitus, homo alienigena & externus, ante omnia omnem Haſmonæorum ſanguinem, qui legitimi regni ſucceſſores erant, exſtinguendum ſibi putavit, neque ſucceſſu flagitioſa conſilia ejus caruerunt. Statim enim *Ariſtobulum* Pontificem, mox *Hyrcanum* ex Parthis allectum, poſtremo quicquid de Haſmonæis ſupererat, delevit & ſuſtulit. Sic ablatum ſceptrum à Juda. Sed Legislator quoque tollendus erat, ſecundum Jacobi vaticinium. Hoc Herodes perpetravit, cum Concilium illud Judæorum, magnum Sanhedrin LXX. Seniores extinxiſſet. Ita & Pontificatum & Sanhedrin ad homines exteros & plebejos tranſtulit. Tum amoto unde

metus, insurgere paulatim, leges & instituta Judæorum mutare, ac gravem in omnes Tyrannidem exercere. Inter alia quæ Judæi molestissime tulerunt, auream aquilam expansis alis, foribus templi in honorem Augusti præfixit, quam quadraginta legis studiosi paulo ante obitum Herodis confregerunt, ac propterea vivi ab eo Jerichunte exusti sunt.

IV. Supra dictum ab hoc Herode peculiarem *Herodianorum* sectam fluxisse, qui Herodem pro Messia coluerunt, teste Hieronymo, adversus Luciferianos c. 8. & Tertull. in hæret. enumeratione. Nec dissentit Epiphanius. Nam non ignorabant Judæi exspirasse jam Prophetarum vaticinia ac Messiæ adventum imminere; in eo decepti, quod temporale ejus regnum fore existimarent, nihil minus quam cœlestia & Spiritualia cogitantes.

V. Sub finem vitæ ejus nati sunt Johannes Baptista & JESUS: ille præcursor & anteambulo Messiæ: hic verus & patribus promissus Messias sive CHRISTUS, semen illud mulieris benedictum. Jesu Christi Nativitas in quem annum Herodis præcise incidat, nullis indiciis solidis ex Historia veteri demonstrari potest. Nam hodierna æra à nato Christo, quam Dionysianam vocamus, peccat minimum μικροχρονισμῷ trienni. Sed hæc quæstio Chronologica est & adeo spinosa, ut inexpli-

explicabilis humano ingenio videatur, de qua prolixe legi poteſt Spanh. in Dubiis.

VI. Primi hunc Meſſiam agnoverunt paſtores Bethlehemitici: quos paulo poſt inſecuti *Magi* ex Oriente. Inutile hic foret differere ſive de origine vocis Magorum, ſive de regione unde venerint, vel quot fuerint Magi, quibus inſigniti nominibus. In univerſum ſcire ſufficit, I. Magos fuiſſe Perſarum & Orientalium Philoſophos, aſtrorum imprimis contemplationi deditos. II. Orientem phraſi Scripturæ non deſignare aliam regionem quam Syriam & regiones cis Euphratem. Inde profecti Magi ductu Stellæ Bethlehemum venerunt. Sunt qui putent eos ex Danielis Schola prodiiſſe: ac ex Prophetia de LXX. hebdomadibus intellexiſſe tempus jam adeſſe, quo exhiberi Meſſias debeat. Alii, ut Origenes, quem Heinſius ſequitur, putant Prophetiam Bileami: *Orietur ſtella in Iacob*, celebrem in oriente fuiſſe ac ab his Magis tum intellectam. Sed quid opus eſt ut nos in opinionibus incertis multum torqueamus? Id conſtat, paulo ante natum Chriſtum oracula gentilium paſſim defeciſſe: cujus ſilentii cauſas varias anxii conquirebant. Lucanus id factum fuiſſe putat: *poſtquam Reges timuere futura, Et ſuperos vetuere loqui.* l. 5. Minutius in Octavio. quod *politiores homines & minus creduli eſſent.* Unde Demoſthenes, quod

sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam dicebat. Non tamen omnia oracula defecerunt, sed plurima tantum. Ut postea suo loco commemorabimus. Nam oraculorum lapsus fuit Christianismi exortus.

VII. Prætereo nunc omnia illa quæ de J.Christo, ejus doctrina & miraculis, vita & morte in Sacris Euangelistarum & Apostolorum scriptis traduntur, & cuilibet Christiano notissima esse debent. Id dixisse satis est, hunc verum Messiam Jesum à Judæis nefarie & contumeliose fuisse rejectum, capitisque accusatum & ad crucem condemnatum, in qua mortem pro peccatis nostris subiit, nosque ab æterna condemnatione liberavit, ac totum Redemptionis nostræ opus plene peregit. Operæ pretium est intelligere, quid in Jesu Christo desiderarint Judæi & quorum criminum eum accusarint. Fontes & capita accusationum præcipua duo fuerunt, blasphemia & seditio. Accusabatur enim à Judæis quod contra Deum & Cæsarem peccasset:

Contra Deum.

1. *Quod sine legitima vocatione doceret.* Matth. 21.

2. *Quod se faceret Messiam.* Luc. 23. Joh. 7. 10.

3. *Quod asseveraret se esse Filium Dei & quidem*

quidem æqualem Deo, Joh. 5.8. Matth.26.

4. *Quod turbaret religionem à Mose institutam populumque seduceret.* Luc. 23.

5. *Quod damnaret justitiam operum, peccatores reciperet, taxaret ritus.* Matth.5. Luc. 15.

6. *Quod violaret Sabbathum.* Matth. 12. Luc. 6. & 13. Joh. 5.

7. *Quod peccata remitteret.* Matth. 9.

8. *Quod affirmasset, se templum destructurum & intra triduum instauraturum.* Joh. 2. Matth. 26.

Contra Cæsarem.

1. *Quod se Regem perhiberet.*
2. *Quod Cæsari tributum negaret.*

Hæc fuerunt illa crimina Jesu Christo ab infidelibus Judæis objecta, quorum etiam clamore & tumultu victus Pilatus Judææ præses, sententiam mortis innocentem tulit, eamque cruci trilinguem affixit, J. N. R. J.

VIII. Sed omissis quæ in Euangelica historia clare describuntur, Jesum Christum doctrinam Euangelii voce tantum, non vero scripto tradidisse certum est. Semel scripsisse legitur in pulvere Joh. 8. Extat quidem apud Euseb. l. 1. c. 14. Epistola Jesu Christi ad Abgarum Regem Edessenorum in Syria, quam se ex Archivis Edessenis hausisse scribit, ac ex Syra in Græcam transtulisse linguam; sed de

cujus fide merito dubitatur, quod nemo ante Eusebium ejus meminerit. Id certum est, in omnem Syriam Iesu Christi famam emanasse. Matt. 4. ut Abgarus sive potius *Acbarus*, id est Magnus, ejus miraculorum notitiam habere potuerit: sed num Epistolam ad Christum scripserit, eique Christus rescripserit, quia silent Euangelistæ & Apostoli, nos quoque pro incerto ac supposititio potius habemus. Omitto nunc fabulas de pictura sive imagine Christi ad Abgarum missa. nam illarum, si eas referre vellemus, finis non esset & modus. Nihil etiam de blasphemo Iuliani apostatæ mendacio dico, qui Christum de magia scripsisse & librum Petro ac Paulo dedicasse, eructabat, teste Cypriano l. 1. contra Iul.

IX. Neque vero doctrina Christi suis caruit contradictoribus. Nam ut nihil nunc de Pharisæis & Scribis & Sadducæis dicam, quos reliqui Iudæi sequebantur, quis nescit Capernaitas doctrinam de manducatione Christi spirtuali per fidem, detorsisse ad carnalem ἀνθρωποφαγίαν? Ioh. 6. August. in Ps. LIV. Præter hos, Archihæreticus ille *Simon* Magus tempore Christi damnabiles suos errores sparsit, quorum in suis Epistolis meminerunt Petrus 2. 2. & Iudas. Hic gente Samaritanus, professione Magus sive incantator, sese Messiam & ipsum I. Christum esse jactabat. Dogmata

gmata ejus præcipua, ex quibus reliquæ hæreſes fluxerunt poſtea, hæc erant:

1. *Se eſſe Deum vel magnam Dei virtutem, Patrem, Filium & S. Sanctum & ab omnibus gentibus variis ſub nominibus coli.*

2. *Se ſub hominis figura in Iudæa putative tantum, non vere paſſum.*

3. *Helenam ſcortum ſuum, eſſe Sp. Sanctum, quæ angelos genuerit, & per ejus agnitionem hominibus ſe ſalutem dare, quæ conſiſteret in licentia agendi quodlibet abſque legis metu.*

4. *Licitum eſſe quælibet peccata exercere.*

5. *Non dari corporum reſurrectionem: animam vero eſſe immortalem & purificari per ſua myſteria.*

Horrenda plane ſunt, quæ porro de hujus Simonis hæreſi referunt, Irenæus l. 30. Tertull. Epiphan. 1. Pan. & alii. Neque vero intra Samariæ vel Iudææ limites ſe continuit, ſed Romam quoque ſub Claudio Cæſ. pervenit, ubi ei ſtatua in ponte Tiberis poſita cum inſcriptione: SIMONI DEO SANCTO. *Iuſtinus* Martyr. v. *Euſeb.*

X. Sunt ex antiquis qui Pilatum acta Ieſu Chriſti, ejus paſſionem & reſurrectionem ad Tiberium Cæſ. tranſmiſiſſe referunt. *Tertull. Euſeb.* Quibus acceptis Tiberius ad Senatum de J. Chriſto in Deorum numerum recipiendo retulit, cum

præjudicio suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit: in sententia vero permansit Imp comminatus periculum accusatoribus Christianorum. *Pilatus* paulo post à Cajo Caligula Viennam relegatus ibidem sua se transverberasse manu dicitur, ac pœnas dedisse J. Christo, quem contra conscientiam suam condemnaverat. De Lacu & Monte Pilati apud Lucernates Helveticos quæ vulgo jactantur, fabulosa sunt. Initio autem, Euangelii tantus apud gentiles erat contemtus, ut non modo non disputarint adversus doctrinam Christianorum, verum eos una cum Judæis deriserint, ut ex Act. IX. 29. recte Beza colligit. Scripserunt Euangelistæ & Apostoli N. Test. lingua Græca, quæ tum latissime patebat, teste Cicerone pro Archia, ac ipsis Judæis familiaris erat, ut ex Philone & Josepho patet. Quod autem Euangelium Matthæi, & epistolam ad Ebræos Ebraice scriptam volunt, incertum, imo falsum est: de quo vide Gomarum, Casaubonum, Capellam. Nam Paulus etiam ad Romanos Græce scripsit.

XI. A. Chr. XL. nomen Christianorum primum Antiochiæ auditum fuit. Act. XI. Varia fuisse Christianorum nomina, non ignotum est versatis in lectione sive sacra sive profana. Ipse Jesus suos appellavit sectatores *Discipulos*: à loco Nativitatis appellabantur *Nazareni*, dicti

dicti etiam *Fratres*, fideles, credentes, *Sancti*, & denique *Catholici*. A gentilibus rerum Christianarum ignaris appellabantur etiam *Galilæi*, ut patet ex Luciano & Juliano Apostata, & Judæi & Christiani. Duo ex his nominibus male intellectis Christianismo illata sunt mala: Primo enim Judæorum scelera & rebelliones Christianis imputabantur tanquam authoribus vel consciis. *Sueton.* in Claudio: *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* Deinde cum Simon Magus ejusque discipuli, Carpocrates, Basilides, Menander, Cerinthus & alii horrendarum hæresium conditores, eodem Christianorum nomine censeri vellent, data Ethnicis gravissimarum persecutionum contra omnes Christianos occasio fuit. Capita accusationum præcipua ex Minutio Felice hæc recensemus:

1. *Quod nocturnis congregationibus humanas carnes vorarent.*

2. *Quod stupris & incestu se polluerent.*

3. *Quod caput asini, id est, Suem, venerarentur & genitalia Sacerdotis adorarent.*

4. *Quod hominem justo supplicio punitum colerent.*

5. *Quod, dum initiantur, infantem farre contectum, initiando occidendum traderent, ejus sanguinem lamberent, membra dispertirentur, & hac conscientia sceleris ad mutuum silentium pignorentur.*

6. *Quod Deum solitarium, & ignotum, & invisibilem, ac peccati authorem facerent, nec spontaneos sed electos admitterent.*

7. *Quod Imp. Rom. & toti mundo exitium molirentur.*

Unde clandestinorum fœderum & coitionum contra Rempublicam rei peracti.

Fuerunt & alia, sed in quibus nullum crimen: ut quod *corporum resurrectionem crederent: nullas aras, nulla templa, nulla simulacra haberent: quod Deos despuerent, exsufflarent & riderent.* & hujus generis plura Religionis Christianæ capita.

Præcipua calumnia de infanticidio fuit & incestu, de quibus Salvianus l. 4. de Providentia: *Initia nostræ Religionis à duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur, homicidio & incestu: incestu matrum sacrosanctarum & homicidio innocentium parvulorum, quos non occidi tantum sed etiam vorari arbitrabantur.*

Unde vero Diabolica hæc calumnia in Christianos, unde illa mille mortibus & omni tormentorum apparatu punienda accusatio? Itane scelerati gentiles, ut nullo hæc fundamento innocentibus intentarent crimina? an vero non omnino erat de nihilo, quod Christianis tam præfracte objiciebant? enim vero, duplicem reperio fontem ex quo Tartareum hoc duplex crimen ad innocentissimos Christianos profluxit:

1. Ex

1. Ex Doctrina de S. *Eucharistia* sive *Cœna Domini.* Nam quis nescit Domino adhuc inter mortales versante, *Capernaitas* doctrinam, de manducatione carnis & bibitione sanguinis Christi spirituali, per fidem detorsisse ad carnalem & oralem *ἀνθρωποφαγίαν*? Ex sexto igitur Joh. capite, carnaliter & Capernaitice intellecto, originem sumpsit crimen illud detestabile infanticidii: & confirmati in ea opinione perversa fuerunt gentiles, cum in S. Cœna distribui participantibus corpus & sanguinem inaudivissent. Opinio de stupro & incestu orta fuit ex amabili *fratrum* & *sororum* nomine. *Cæcilius* apud Minutium: *se promiscue appellant fratres & sorores, ut etiam non insolens stuprum, intercessione sacri nominis fiat incestum.* Et auxit suspicionem nefaria ab illis peragi, quod cum metu prohibiti de die solemnia sacrorum celebrare non possent, noctu convenirent. Unde illa calumnia quod *in tenebris cædes ac incestus committerent, nec auderent cum Deo & sacris suis in lucem prodire.* Minut. in Octavio. Sed accessit,

2. *Hæreticorum* abominanda malitia, qui revera *ἀνθρωποφαγίαν*, infanticidia, vagos incestus, & quid non horrendorum flagitiorum, perpetrabant. Quorum primus, ut supra dictum, author *Simon* maledictus ille Magus fuit, qui cum *quælibet peccata libere & impune exercenda esse* statueret,

tueret, quid mirum, si incestu quoque & homicidio se ac suos polluerit? Et ex perperam intellecto sexto capite Johannis hanc immanitatem à Simone fuisse ortam, antiqui, ut *Clemens* in rebus gestis Petri, narrat. Hunc igitur Seductorem secuti *Carpocratiani*, *Quintiliani*, *Cataphryges*, *Pepuziani* & universa *Gnosticorum* colluvies ac *Manichæorum*, non vagis tantum libidinibus & incestu se miscebant, verum etiam *humanis carnibus*, horrendum! vescebantur, ac *sanguinis humani potu* initiabantur. Hi vero omnes Christianos se appellabant, & eorum nomine gentilium simplicitatem fallebant. Qui cum talia perpetrari à Christianis & viderent & audirent, neque tamen inter *falsos* & *veros* distinguere possent, mirum ne cuipam videbitur, eos talia Christo & veris ejus discipulis ac fidelibus adscripsisse, ac Principes suos ad ultionem & excidium pessimæ, ut arbitrabantur, Sectæ, impulisse? Et hæ causæ persecutionum particulares sive potius prætextus & occasiones. Vera autem & intima causa *Politica* erat: *quod Romani quicquam in sua patria religione mutari nollent, ne ipsa Resp. turbaretur*: Cumque Christiana Religio in universum tolleret gentilem, hinc factum quod eam statui suo adversari crederent, adeoque ferro exscindendam. *Paulus* v. Sententiarum: *Qui novas & incognitas religiones intro-*

introducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur.

XII. De his ex professo & prolixius hic agendum fuit, ut intelligeremus, quid moverit Imperatores gentiles ad *decem* illas *Christianorum crudelissimas persecutiones.* Profecto non de nihilo est, quod Principes aliqui cætera clementes & eximii, tantam stragem ediderunt. Causam fuisse gravem & urgentem necesse est, quæ eos ad *ferrum & ignem*, ad mille tormenta & horrendos cruciatus impulit; *Cœnæ* nimirum *Thyesteæ*, ἀνθρωπίνων σαρκῶν βορὰ καὶ ἀναιδεῖς μίξεις ut *Iustinus Matyr* in Apolog. ad Antoninum loquitur, *Simonis Magi* crimina Christianis falso imputata: hæc aciem Imperatoriæ Majestatis in innocentes strinxerunt. Hinc *quicquid calamitatum publicarum ingruebat Romano Imperio, si pestis, si fames, si bellum affligeret, si terræ motu urbes haurirentur, eluvionibus agri,* horum omnium causa erant Christiani, & velut victimæ odii publici immolabantur. *Arnob.* 1. adversus gentes. *Cyprianus* contra Demetrianum. *Augustin.* in Civitate Dei.

XIII. Interea *Apostoli* eorumque Discipuli per universum terrarum Orbem dispersi, quod mandaverat Dominus, Euangelium propagabant admirabili cum successu, frementibus licet Ethnicis & Judæis frendentibus. Nam quid facerent illi hostes,

ſtes Chriſtianiſmi poſtquam jam patri eorum Satanæ antiquo illi Serpenti impoſitum ſilentium & contritum fuerat caput? Cauda tantum minari, perſecutiones fidelium, & honoratas mortes procurare, fidem vero in Chriſtum extinguere, vel curſum Euangelii impedire, haudquaquam potuerunt. Quippe circa Chriſti tempora, ut ante dictum, efficacia Dæmonum & Oracula ceſſare cœperunt, teſte *Porphyrio* apud *Euſeb.* *πϱοπ.* v. 8. *Lucanus* eam jacturam deplorat l. v.

--- non ullo ſecula dono
Noſtra carent majore Deûm, quam Delphica ſedes
Quod ſiluit: poſtquam Reges timuere futura
Et ſuperos vetuere loqui.

Ceſſarant igitur plurima jam Oracula, nondum tamen omnia. In Bœotia *ſola Lebadia* reſtabat, unde ſortes peterentur. Oraculum Delphicum non amplius verſu, ſed ſoluta & vili oratione vaticinabatur, de quo Plutarch. *Πεϱὶ τοῦ μὴ χϱᾶν ἔμμετϱα τὴν πυθίαν.* Circa exceſſum vero Apoſtolorum penitus omnia conticuerunt, ut teſtantur Strabo, Juvenalis, Plut. Celſus, Porphyrius, Julianus Apoſtata & alii.

XIV. Primus ex Apoſtolis Martyrio coronatus fuit *Iacobus* frater Johannis, ab Herode Agrippa, in gratiam Judæorum gladio percuſſus. Act. 12. Paulo poſt cum Apoſtoli ſanctam illam Hieroſolym. celebraſſent

brassent Synodum, Act. 15. dispersi in varias orbis partes Ecclesiam Catholicam, ex omni gente, tribu, natione, lingua, convocare cœperunt. In cujus rei memoriam hodie Ecclesia Romana festum divisionis Apostolorum 15. Julii celebrat. Quod Marcus sub finem Euangelii his paucis verbis innuit, cum inquit: *Illi vero egressi prædicaverunt Euangelium ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante per signa subsequentia.* Vetus traditio est, ante hanc dispersionem conditum ab Apostolis symbolum, quod vocatur Apostolicum, & XII. articulos habet. Sed hoc incertum esse ostendit Vossius Senior.

Quam autem singuli partem orbis obiverint & qualem vitæ exitum habuerint, certis indiciis ostendi non potest. Id constat ex Epist. ad Gal. II. Petro contigisse Apostolatum circumcisionis, id est Iudæorum: Paulo Apostolatum gentium, quorum res fuse persequitur in Actis Lucas, nulla fere ceterorum mentione facta, neque quenquam eorum sibi conspectum, præter Petrum & Iacobum fratrem Domini, Paulus in Epist. ad Galat. I. testatur. Ex quo colligimus reliquos Apostolos in loca longe dissita Africæ & Orientis ac Septentrionis concessisse. S. *Thomam* Euangelium prædicasse Edessenis & Parthis testatur Euseb. lib. 1. c. 1. & l. 3. c. 1. Addunt alii Indos, apud quos eum Martyrio per-

functum

functum recentiores volunt, in Malabar, ubi hodieque familia, cujus alteram tibiam monstrosæ magnitudinis ex maledictione Thomæ esse volunt. Sed decrevimus fabulis vel incertis narrationibus abstinere. *Andræas* Scythis Europæis & plurimis per Europam, Asiam ac Africam nationibus Euangel. prædicasse traditur. *Iohannes* in Judæa & Asia minori; *Iacobi* duo Hierosolymis; *Philippus* in Scythia & Phrygia, *Bartholomæus* in India citeriori & Armenia; *Matthæus* in Æthiopia; *Iudas* in Ægypto & Persia; *Matthias* in interiori Æthiopia, Cypro & alibi; *Paulus* omnium latissime ab Hierosolyma usque ad Illyricum, Romæ, in Italia, Gallia, Hispania; Petrus in Judæa, Syria, Babylonia, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia. Ab his fundatæ per universum orbem Ecclesiæ: ut verissimum fuerit illud Tertul. l 1. advers. Judæos. *Christi regnum ubique porrigitur, ubique creditur ab omnibus gentibus, ubique colitur, ubique regnat, ubique adoratur.*

XV. Inter omnes Ecclesias Apostolorum tempore fundatas florentissima haud dubie fuit Romana, quam tamen, quis primo fundaverit, à quo Euangelium initio acceperit, (sunt enim diversæ opiniones) certo ostendi non potest. Hodierni Romanenses, ut Imperium suum Oecumenicum stabiliant, hic inprimis anchoram figunt

figunt & operofi funt. Primo, velut rem extra controverfiam pofitam præfuppo-nunt: *Petrum Apoftolorum fuiffe Principem, Vicarium Chrifti, caput Ecclefiæ, cui in reliquos Apoftolos fumma fuerit & peremptoria autoritas. Quod autem ea ufus non legatur in Sacris literis, id ipfius modeftiæ, ipfius & humilitati adfcribunt.* Hoc ita præmiffo addunt: *Petrum, poftquam fundaffet Antiochenam cathedram, Romam fub Claudio Imp. veniffe, ibique Œcumenicum Epifcopatum in omnes totius orbis Ecclefias conftituiffe, ejufque veros ac legitimos cum Ampliffima poteftate Apoftolica fucceffores effe hodiernos Pontifices Romanos.*

XVI. Noftrum nunc non eft prolixe difputare contra primatum Petri vel Roman. Pontif. poteftatem, quod ab aliis prolixe jam factum. Id ad inftitutum noftrum pertinet, ut videamus, *an ex Hiftoria Ecclef. certo oftendi queat Petrum fuiffe Romæ ibique per* XXV. *annos Epifcopatum tenuiffe, & tandem poft certamen illud contra Simonem Magum, ibidem cum Paulo gloriofo martyrio perfunctum?*

Quod igitur fpectat primum: *an Petrus fuerit Romæ* ibique Epifc. per XXV. annos gefferit? nihil hujus ex Hiftoria Apoftolica, actis & Epiftolis vel unico verbulo demonftrari poteft: Proferunt quidem ex 1 Petri v. 13. *Salutat vos Ecclefia quæ eft in Babylone & filius meus Marcus.* Ubi

Ubi per Babylonem intelligendam volunt urbem Romam etiam hoc argumento, quod Marcus sit nomen Romanum; sed incertum per æque incertum probatur. Utcunque enim in Apocalypsi, libro obscuro & Prophetico, Babylon mystico sensu vocetur Roma; non tamen exinde consequitur etiam hoc loco, ubi nulla obscuritas, ita accipi. Duplex illo tempore erat *Babylon*, una *vetus* illa in Chaldæa, altera *nova* prope Memphin in Ægypto. De utraque commode potest accipi, maxime de posteriori, Quippe Ægyptus plena Judæorum, ibique Marcum Episcopum fuisse antiqui consentiunt. Et pone accipi pro Roma, aliud exinde consequitur nihil, quam Petrum Romæ fuisse. Non vero necesse est, ut ubicunque quis fuisse dicitur, ibi etiam Episcopatum per XXV. annos gesserit.

2. Quod antiquos spectat Patres & Ecclesiæ Scriptores, *plerique sane tradunt, Petrum Romæ fuisse, ibi cum Simone Mago certasse, ac martyrio tandem coronatum.* Sed antiquissimi qui hoc tradunt, *Irenæus* & *Tertullianus*, minimum centum triginta annis post Christum vixerunt, quo tempore multi jam errores, multæ traditiones falsæ, in Ecclesiam irrepserant.

3. Primus *Eusebius* in Chronico ex versione Hieronymi tradidit: *Petrum fundata Antiochiæ Ecclesia Romam venisse, ibique* XXV. *an-*

xxv. *annis Episcopatum gessisse.* Sed locu n hunc esse vitiosum Græca editio ostendit, in qua verba hæc desunt: *ibique* xxv. *annis piscopatum gessisse.*

4. Quoniam vero antiqui etiam certaminis Petri cum Simone Mago meminerunt, operæ pretium est de eo etiam aliquid addere. Tradunt illi, *Simonem Magum, igneo curru per aërem vehente, precibus Petri dejectum cervices fregisse.* Sulpicius *Severus* rem ita describit: *Tum illustris illa adversus Simonem Petri & Pauli congressio fuit. Qui cum Magicis artibus ut se Deum probaret duobus suffultus Dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis Dæmonibus, delapsus in terram, populo spectante disruptus est.* Sunt ex nostris, quibus tota hæc historia fabulosa videtur. De statua Simonis, error est ortus, quod Romani Deum colerent *Semonem*, cujus apud Livium l. VIII. mentio his verbis: *Bona Semoni Sango censuerunt consecranda*, cui etiam statua posita ad Tibrim cum hac inscriptione: SEMONI DEO SANCTO. quam Gregorii XIII. Pontificatu in Tibri repertam Baronius testatur. Hujus Semonis statuam Christiani per errorem Simoni Mago adscripserunt. Quod certamen spectat, non diffitetur *Augustinus* Ep. LXXXVI. id à multis Romanis pro fabula haberi. Et mirum videri queat, rem tam memorabilem scriptoribus ejus ævi, Suetonio, Tacito,

Tacito, Plinio omiſſam. Quid ergo? an commentum plane eſt quod de hoc Simonis volatu traditur? Mihi vero *Suetonius* oſtendere fontem hujus opinionis videtur cap. XII. Neronis. Ibi, cum deſcriberet ludos à Nerone editos, inter alia tradit, eum etiam *Icari* fabulam repræſentaſſe. *Cæterum*, inquit, *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit.* Hic, niſi fallor, Simonem Magum habemus: ſive is revera Icarum Neroni repræſentare voluerit, ſive exinde lapſus ejus à Chriſtianis derivatus fuerit.

5. Reſtat ut temporum rationem conſulamus, ac an XXV. anni Epiſcopatus Petri cum illis conciliari poſſint videamus. A paſſione Chriſti ad martyrium Petri XXXVII. annos effluxiſſe communiter tradunt. Ab his ſi ſubducas VII annos Epiſcopatus Antiocheni, XXV. Romani, quatuor tantum anni reſtant, intra quos omnia illa egerit Petrus, quæ in Actis & Epiſtola ad Galatas referuntur, quod tamen vix intra XVIII. vel XX. annos fieri potuiſſe demonſtratur. Nam XII. annos poſt mortem Chriſti Petrus ab Herode Agrippa Hieroſolymis captus. Act. 12. Eum ibidem viſitavit Paulus anno tertio, & iterum anno decimo quarto poſt converſionem ſuam. Gal. 1, 18. 2, 1. Jam ponamus ſane Paulum primo ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem anno converſum, ut Baronius & Perronius

ronius contendunt, haberemus igitur XV. annos Petri, quos Hieroſolymis & in Judæa tranſegit. Anno XVIII. Chriſti habitum fuit illud Concilium Apoſtolicum Act. 15. ad quod ab Eccleſia Antiochena ablegatus *Paulus*, Petro etiamnum Hieroſolymis verſante. Nondum ergo Epiſcopus Antiochenus. Jam ponamus, ſtatim poſt Concilium illud, Petrum ſe Antiochiam contuliſſe, ibique VII. annos ſediſſe, quod tamen haudquaquam demonſtrari poteſt, jam ergo XXV. anni effluxiſſent, antequam Romam venire potuit Petrus: ſic tantum reſtant XII. anni, quos ibi tranſigere potuit. Sed cum falſum ſit, Paulum primo ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem anno converſum, & converſio ejus minimum in VII. demum annum incidat: vix quatuor Petro ad Epiſcopatum Romanum ſupererunt anni. Nam Stephani martyrium contigit anno VII. poſt aſcenſionem Chriſti, teſte *Euodio* Epiſcopo Antiocheno Succeſſore Petri apud Nicephorum 2. 3. ſex autem menſibus poſt demum converſus Paulus, teſte eodem.

Ex his difficultatibus ut ſe expediat Perronius, prætendit Petrum crebro Roma in Judæam profectum, ſed nullo ſane ex omni antiquitate fundamento prolato, unde eadem facilitate rejicitur.

XVII. Hæc prolixius paulo hic repetenda fuerunt, ad convellendum *capitalem*

illum

illum de Petri Romano Episcopatu errorem, cui reliquam Hierarchiam suam Pontificii superstruunt, contra fidem Historiæ sacræ & Ecclesiasticæ. Restat ut de martyrio ejus paucis agamus. Equidem cum antiqui unanimiter afferant Petrum Romæ passum, etiamsi propter multas quas admiscent fabulas res suspecta esse possit, tamen non refragabimur, quo minus id contigerit. Sed quod tempus attinet, itemque modum & supplicii genus, tum sepulturam, antiqui non consentiunt, nec refert sententias eorum vel fabulas prolixe recensere.

XVIII. Id certum est, sub NERONE primam contra Christianos persecutionem Romæ motam fuisse, in qua etiam ut *Petrus & Paulus* perierint fieri potest. Occasio ejus fuit *incendium Romæ coortum, forte an dolo Principis*, quod cum per IX. continuos dies durasset, vastissimam illam Urbem usque ad IV. regiones in cineres redegit. Populus culpam hujus mali in Neronem contulit, *quasi gloriam innovandæ urbis hoc incendio quæsivisset.* Nero ut se ab hoc crimine liberaret, invidiam in Christianos vertit, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones, quin & novæ mortes excogitatæ: *ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent: multi crucibus affixi aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis*

luminis urerentur. Tum latis legibus Religio Christiana prohibita: palamque edictis propositis Christianum esse non licebat. *Sulpicius Severus* II.

XIX. Hæc prima tempestas atrox & vehemens Ecclesiam Christianam per Imper. Rom. afflixit. Quid mirum adeo in eos sævitum fuisse, cum *incendiarios*, fama publica, & calumniatores, & ipse Princeps Nero eos appellaret? Sed gravior calamitas *Judæos* tum accepit. Quod enim ipsi in condemnatione Christi sibi imprecati fuerant: *sanguis ejus super nos, & liberos nostros*, id justo Dei judicio factum fuit. Judæi ultimo anno Neronis rebellare cœperunt: causam refert Suetonius in opinionem veterem & constantem, quæ toto Oriente percrebuerat: *esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Quod prædictum Judæi ad se trahentes, rebellarunt. Sed *Josephus* omnem hujus mali culpam rejicit in Cestium Florum Judææ præsidem, qui inaudita crudelitate sua, Judæos ultima perpessos tandem ad desperationem adegit. Bellum, quo nullum atrocius, obsidionem Hierosolymæ, qua nulla immanior, legent qui volent apud Josephum prolixe. Capta est Urbs & templum Kal. Septemb. anno secundo Fl. Vespasiani post Chr. LXXIII. ipsa Sabbati die, quo indicatum satis, Deum Sabbata illa Judaica una cum templo sublata voluisse.

C Per-

Perierunt in hac sola obsidione ad *duodecies centena hominum millia*, præter illos qui in tota Palæstina, Ægypto, Syria & alibi occubuerunt. In triumpho Titi imprimis eminebant *Mensa aurea* cum pretiosissimis *Vasis* & *Candelabro*, nec non *Lex Iudæorum* sive *Pentateuchus*. Quæ omnia, victoriæ monumentum, *in Templo Pacis* collocata sunt, Josepho teste. Sunt qui *Arcam Fœderis* addant, eamque cum candelabro hodieque incisam Arcui Triumphali Titi Romæ spectari volunt. Sed Arca nulla fuit sub secundo Templo. Error inde ortus, quod Currum Triumphalem Titi, Arcui incisum acceperint, pro Arca Fœderis, quia ei non est dissimilis.

XX. Hic *finis Ecclesiæ Iudaicæ* fuit: has pœnas J. Christo, quem temere rejecerant, dederunt, memorabile iræ Divinæ in hunc usque diem exemplum: Vagantur extorres, contemti, & ipse conspectus eorum aliquid habet abominationis in se; ut jure Prudentius:

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.

Nihilominus ex illa immani clade mox per universum Orbem ingenti multitudine repullularunt, adeo ut Seneca apud Augûst. 6. de C. D. 11. conqueratur eos *victoribus leges dedisse*, ac Romæ sub Alexandro

xandro Mammææ filio etiam jus *αὐτονο-μίας* obtinuisse, teste Dione XXXVII.

XXII. Interea Diabolus non destitit horrendas quotidie hæreses Christiano nomine palliare, ad Ecclesiæ veræ magnum dedecus & ingens detrimentum. Apostolorum adhuc tempore ex Simonis Magi Schola, velut ex equo Trojano prodierunt, ipso Magistro in multis deteriores *Nicolaitæ, Ebionæi, Menandriani, Cerinthiani* & *Pseudo-Apostoli*. De quibus omnibus ordine.

Nicolaitæ nomen dicuntur accepisse à Nicolao Diacono, uno ex VII. primis. Act. VII. Sed qua occasione, inter omnes nondum convenit. Quidam volunt, ipsum *Nicolaum* pravæ hujus hæresis fuisse autorem, ac necessarium ad salutem statuisse, quotidie inquinari luxuria carnis. Alii Nicolaum excusant, ejusque nomine pessimos homines ad pallianda scelera sua abusos. Dogmata eorum:

1. *Christum non esse Deum, sed in eo Deum habitasse.*

Hinc Apostolus Judas de illis in Epistola: *Solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum abnegantes.*

2. *Summam hominis felicitatem consistere in voluptate & vago concubitu.*

Docebant igitur, *Vxores oportere communes esse* ac *rem indifferentem esse mœchari, vel vesci Idolothytis.* De quibus *Petrus* II.

Epist.2. & Judas 7. 8. 9. ac ipse Apost. Joh. in sua Apocalypsi 11. *Hoc habes quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Hæc secta, paulo post à sapientiæ jactantia *Gnosticorum* nomen assumpsit, ac variis insuper appellata fuit nominibus, *Phibionitarum Stratioticorum*, *Leviticorum*, *Borboritarum* à cœnosa sive lutosa turpitudine.

Ebionæorum conditor fuit *Ebion*, qui Judaismum Christianismo permiscuit. Dogmata ejus:

1. *Christum tantum hominem esse, non vero coessentialem Deum, Prophetis tantum gloriosiorem, neque extitisse prius quam ex Maria nasceretur.*

2. *Observationem legis Mosaicæ necessariam esse ad salutem.* Hinc circumcisionem, Sabbata, cæterosque ritus legales observarunt.

3. *Ex Scriptis N. Test. non receperant nisi Euangelium secundum Matthæum sive Hebræos.* Pauli scripta propterea rejecerunt, *quod à lege defecisset.*

Menandriani, à *Menandro* Simonis Magi primogenito discipulo dicti, eadem cum ipso dogmata sequebantur.

Cerinthiani, Cerinthum sequebantur. In plerisque consentiebant Ebionæis, negantes *Christi æternam divinitatem* & *legis necessitatem urgentes.* Peculiaria habebant:

1. *Mundum non à Deo, sed Angelo creatum.*

2. *Re-*

2. *Regnum Christi fore terrenum, in quo Hierosolymis victuri & cibo, potu reliquisque voluptatibus corporalibus perfruituri essent, per mille annos.* Judam quoque Domini traditorem honoravit. Et contra has, inprimis Ebionæorum & Cerinthianorum Sectas, grave certamen B. Apostolo JOHANNI; ac cum utroque hæresiarcha congressus fuit. Referunt antiqui, Johannem, cum audivisset in balneo esse, ut alii volunt Ebionem, alii Cerinthum, alii utrumque, ocyus aufugisse, dicendo: *Festinemus fratres, fugiamus hinc, ne balneum concidens in Ebionem vel Cerinthum, nos simul opprimat.*

Præter hos, variis insuper se Apostolis in primis B. Paulo opposuerunt dicti uno nomine *Pseudo-Apostoli.* Hi imprimis urgebant *legis absolutam necessitatem* & *traditiones humanas*; negabant, *per Filium Dei nos salvari*, ac *dari mortuorum resurrectionem.* Alii ex *male intellecta doctrina gratiæ introducebant vitæ licentiam.*

Neque vero hic quievit Diaboli malitia, sed ex ipsis Ethnicis suscitavit Christo Domino adversarium *Apollonium* Tyaneum famosum ea ætate Magum, qui præstigiis suis & fraudibus vera Christi & Apostolorum miracula obscurare, suscepta quasi Simonis Magi persona, nitebatur. Cujus quidem tanta fuit existimatio apud gentiles, ut Ephesii eum pro Deo sub no-

mine *Herculis Alexicaci* colerent, & *Alexander* Imp. eum una cum Christo in Lario suo collocaret.

XXIII. Sed accessit ad omnes has hæreses nova insuper persecutio ordine *Secunda*, quam DOMITIANUS movit tanta acerbitate, ut ne nepti suæ quidem ex sorore, *Flaviæ* Domicellæ, parceret, sed eam propter fidem in Christum in Planasiam Insulam relegaret. Tum temporis, Apostolum *Iohannem* Romæ in ferventis olei dolium sine læsione conjectum ac puriorem inde egressum, tradunt. Id satis constat, relegatum in insulam Pathmon, ibi Divinam Apocalypsin, quæ Canonem Novi testamenti concludit, scripsisse. De quo videatur Bezæ præfatio. *Domitianus* quoque *inquiri jussit eos qui ex Davidis regia stirpe superessent*, quos, cum invenisset homines pauperes & agricolas (erant autem ad ipsum adducti nepotes Judæ Apostoli) cum contemptu à se demisit. Finita hæc persecutio una cum Domitiani vita fuit, & tum *Iohannes* quoque Ephesum reversus, Ecclesias Asiæ procuravit, ac *contra detestabilem Cerinthi & Ebionis hæresin Euangelium suum scripsit*, in quo præcipue *Christi Divinitatem* asserit, quemadmodum errores Basilidis, negantis incarnationem Christi, in Epistolis confutat.

XXIV. Ultimus Apostolorum *Iohannes* obiit Ephesi circa A. Chr. 100. Antiqua opinio

opinio fuit, etiam Discipulorum Domini, *non moriturum Iohannem*, orta ex his Christi verbis: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hinc sermo exiit inter Discipulos, quod Discipulus ille non moriturus sit.* Hic Apostolorum ultimus *Scripturæ* N. Test. Canonem, sua Apocalypsi obsignavit. XXII. 18, 19. Nihilominus sequior ætas humana autoritate varias ei lacinias ac traditiones assuit, inprimis *Constitutiones* & *Canones* Apostolicos. Constitutionum VIII. libri ejus circumferuntur de vita moribusque fidelium ac gubernanda Ecclesia, quæ singulis pene libris cum Scripturis pugnant. Reperitur in iis *Iacobum, fratrem Domini, non fuisse Apostolum* contra Gal. I I. 19. *Sp. S. subjectum esse Filio & ab ejus voluntate pendere.* Alia vide apud Scultetum in Medulla. *Canones* Apostolici sunt breves aphorismi num. LXXXIV. de constitutione Ecclesiæ. Continent multa vana & frivola. Unde *Gelasius* & *Gratianus* cap. *Sancta Ecclesia*, dist. XIX. & cap. Canones. dist. XVI. nec non *Synodus* Trullana VI. can. 2. utrumque librum ut Apocryphum condemnant. Quod Bellarminus interpretatur dist. XXXIV. de can qui ab hæreticis additi sint, reliquos esse Apostolorum. De utriusque libri & constitutionum vanitate nuper ex professo Joh. *Dallæus* de Pseudepigraphis Apostolicis.

ARTICULUS II.

Ab Excessu Apostolorum ad Constantinum M.

I. TErtiam persecutionem TRAIANUS movit, quæ fuit vehemens & atrox. Nam initio decretum proposuit, *ut Christiani ubique conquirerentur & per tormenta, si aliter non posset, usque ad mortem, sacrificare ritu majorum adigerentur.* In qua persecutione martyrium imprimis *Ignatii* Episcopi Antiocheni eminet, qui cum bestiis objiciendus esset, *Dei se esse triticum* dixit, ac *dentibus bestiarum molendum, ut Deo mundus & purus panis inveniretur.* In hac persecutione sedanda bonam navavit operam *Plinius* secundus Bithyniæ Præses, cujus extat Epistola ad Trajanum x. 97. Igitur re bene perpensa Trajanus rescripsit: *Christianos non esse conquirendos, si deferantur & arguantur, puniendos.* Ita fervor persecutionis sedatus, ipsa autem penitus extincta non fuit.

II. Circa hæc tempora confectum fuisse volunt *Symbolum Apostolorum*, quod quasi tessera veri Christianismi erat ad detegendos hæreticos qui eo nomine abutebantur. Sunt qui ipsos XII. Apostolos hujus autores fuisse tradunt, ita ut singuli singulos articulos quasi Symbola contulerint. Sed quia nec *Lucas* in Actis, nec *Eusebius* in Historiis Ecclesiasticis, nec Patres

Patres antiqui *Iustinus* Martyr, *Ignatius*, *Irenæus*, & qui ſequuntur, ejus meminerunt, recentioris ævi & compoſitionis putatur. Sed de toto hoc Symbolo & omnibus ad id ſpectantibus, item de articulo, *deſcendit ad inferos*, non opus eſt pluribus agere, cum nuper prodierit Voſſii integer tractatus, & hæc in anniverſariis Catecheſeos explicationibus abunde exponantur. Probabile eſt, explicationis gratia additum. Sicut hodieque Armeni in Symbolo verba quædam, nec Græcis nec Latinis uſitata, ſed tamen Orthodoxum ſenſum declarantia, intertexunt, ut oſtendit Chytræus in orat. de ſtatu Eccleſiæ hodierno in Græcia, Aſia, Africa.

III. Tum quoque prodierunt *Catechiſmi* authore *Marco Euangeliſta*, ſi *Euſebio* credimus l.5, c. 22. Id ſatis conſtat, *Hermen*, cujus mentio Rom. XVI. 14. Catechiſmum titulo *Paſtoris* edidiſſe. *Euſeb.* III. 3. *Iren.* IV. 7. Celebris quoque erat Catecheſis *Dionyſii* Corinthii, quam Lacedæmoniorum Eccleſiæ inſcripſit, *Niceph.* IV. 8. Et tales formulæ extinctis Apoſtolis in Eccleſia neceſſariæ erant.

IV. Non tot cladibus & totali pene excidio domari potuerunt *Iudæi*, quo minus ſub *Adriano* Imp. iterum ad ingenium redirent, ac graviſſimam rebellionem bellumque concitarent. Etenim in hac gente

singularis quædam, divinæ olim benedictionis argumentum, fœcunditas observatur. Quanquam enim Titus innumerabilem eorum multitudinem interfecisset, tamen intra L. annos in immensum iterum multiplicati, omnem Ægyptum & Judæam multitudine sua inundarunt. De quo conqueritur *Rutilius Numantinus*, 1. Itiner. sui.

Atque utinam nunquam Iudæa victa fuisset
Pompeii bellis Imperiove Titi.
Latius excisæ gentis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Quæ de Judæis potius quam Christianis accipienda esse, Seldenus contendit.

V. Hi igitur Iudæi, adhuc vana spe *Messiæ* sui lactati, in gravissimum scelus proruperunt, Autor omnis mali, impostor quidam, *Barchochab* fuit, qui sese Messiam jactans, partim specioso nomine suo, partim fraudibus universam gentem decepit. Nam cum *Bileam* de Stella oritura in Iacob Num. XXIV. prophetasset, id ad se pertinere & *sese illam stellam esse*, illum tamdiu exspectatum Messiam, insanus jactavit. Quam quidem falsam expositionem, magni inter Iudæos nominis & novi hujus Messiæ armiger, Rabbi *Akiba*, suo suffragio & autoritate confirmavit. Accessit & fraus, quod impostor hic stipulam in ore succensam ventilaret anhelituque flammas evomere videretur, imitatus Eunum belli servilis autorem. de quo Florus.

VI. Non

VI. Non Romanis minus quam Christianis bellum hoc Judaicum luctuosum fuit. Quippe *Barchochab* Christianos militare, vel Christum verum Messiam abnegare nolentes, exquisitis cruciatibus & suppliciis neci dedit. Sed tandem Justus Jehova vindex perfidam gentem & immedicabilem ultus fuit. Quippe obsessus in *Bitther* Pseudo-Messias, ibidem post extrema fame, cum ingenti multitudine periit. De qua clade loquentes Judæi in libris suis dicunt: *Adrianus in Bitther occidit duplo plures Iudæos quam egressi sunt Ægypto, & non vexavit eos Nebucadnezar neque Titus sicut Adrianus.*

VII. *Adrianus*, ut perfidam gentem in æternum Judæa excluderet, Hierosolymam funditus excisam instauravit, ac de suo nomine *Æliam Capitolinam* appellavit, passim per Vrbem & loca sacra Idolis erectis. Lata insuper Lex fuit, quæ Judæos *non aditu tantum verum etiam aspectu Hierosolymæ in perpetuum* arcebat; & quod ægerrimum erat impiæ genti, *Sus* portæ Bethlehemum respicienti insculptus, quod animal imprimis abominationi ipsis esse, non ignorabat Adrianus, quamquam etiam aliæ rationes allegentur, à Baronio imprimis, quod *Scropha lactans porcellos suos*, insigne Æneadum fuerit. Uno tamen die quotannis *lugendi gratia* Judæis urbem adire concessum fuit, testantibus *Nazianzeno*

orat. XII. & *Hieron.* in cap. XII. Sophoniæ. Nihilominus etiam ex hac calamitate qui evaserunt vana futuri adhuc Messiæ alicujus spe suos lactarunt, ac Scripturam Veteris Testamenti suis glossis misere depravarunt. Ex quibus præcipuus fuit R. Judas Xanthus Tiberiade docens, qui gratiam Imperatoris nactus *Mischnam* edidit, in qua prolixis commentariis illustranda occupabantur Rabbini, donec tandem ingens *Talmud* ex eorum scriptis conflavit Rabbi *Iuchanan.* Duplex autem Talmud, *Hierosolymitanum* & *Babylonium.* Utriusque partes binæ sunt גמרות & משניות sive δευτερώσεις edidit R. *Iehuda*, quem הקדוש Sanctum & *Hannasi*, id est, Principem vocant. Ante eum enim traditiones & interpretamenta legis ore tantum tradebantur. *Hillel* quidem jam ante Christum natum eas in compendium conjecerat, sed publicavit demum *R. Iehuda* charus Antonino Imp. Pio, quem propterea Judæi Proselytis adscribunt. Seldenus præfat. ad leges Ebræorum.

VIII. Hæc Judæorum calamitas Hierosolymitanæ Ecclesiæ salutaris admodum fuit. Quippe, cum hactenus illa Ecclesia *jugum legis*, inprimis *circumcisionem*, Euangelio admiscuisset, & ex Judaismo ac Christianismo mixturam fecisset, nunc hoc Hadriani interdicto monita, *Iudaismum penitus abjecit*: nimirum id Domino ordi-

ordinante, ut legis servitus à libertate fidei ac Euangelii tolleretur. Tum primus ex gentibus apud Hierosolymam Episcopus *Marcus* fuit, neque ulli post eum Judæi admissi leguntur, id est, circumcisi.

IX. Persecutionem QUARTAM primo quidem *Adrianus*, perlecta pro Christianis Apologia, quam *Quadratus* & *Aristides* Philosophi Athenienses scripserant, inhibuit, penitus autem sustulit ANTONINUS Pius. Quo quidem tempore, cum pax reddita esset Ecclesiis ab hoste externo, intestinis malis laborare ac gravi schismate collidi cœperunt. Controversia omnis erat de die qua celebrandum Pascha: *anne quartadecima Luna cum* Judæis ex instituione Dei: an vero illa die, *qua ex mortuis resurrexerat Dominus*. Prius defendebant Ecclesiæ *Asiaticæ*, posterius *Occidentales*, imprimis *Victor* Episcopus Romanus, tanta quidem vehementia, ut *Ecclesias Asiaticas temerario ausu excommunicaret*. Displicuit hoc factum multis piis, qui etiamsi consuetudinem *quartodecimanorum* non probarent, tamen existimabant *propter ceremoniarum dissonantiam non esse rumpendam fidei communionem*. Imprimis Victorem *Irenæus* Lugdunensis Episcopus graviter redarguit. Ut mirum omnino sit Pontificios tum factum hoc defendere, tum exinde primatum Pontif. Romani probare velle. Nam quod dicunt, *quia*

Victor

Victor Ecclesias Asiaticas excommunicarit, ipsum propterea caput Ecclesiarum Asiaticarum ac per consequentiam Oecumenicum Episcopum fuisse, id quam infirmum sit ac futile multis ostendi posset, si ratio temporis pateretur. Non enim omnis excommunicatio à superiore fit: sed par parem, & in quem nullum habebat imperium, excommunicasse legitur. Sic *Cyprianus* Novatianum Presbyterum Romanum, *Iohannes* Antiochenus Patriarcha Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, *Hilarius* Episcopus Pictaviensis Papam Liberium, *Menas* Constantinopol.& Episcopi Africani Vigilium Papam Rom. *Acacius* Felicem P.R. excommunicarunt. Nec pares modo à paribus, verum etiam superiores ab inferioribus excommunicati leguntur. Sic A. IↃXIII. *Severus* Episc. Antiochenus à Cosmo Epiphaniæ, & Severiano Arethusæ Episcopis ipsi subjectis excommunicatus & depositus fuit. Neque vero excommunicatio aliud tum erat quam *separatio, non-communio*, *renunciatio communionis*: non vero *damnatio*, *execratio* per candelas extinctas, *campanarum* boatum, ut hodie fieri solet Romæ.

X, Utcunque vero *Victor* excommunicationis aciem in *Quartadecimanos* strinxisset, tamen Asiatici existimantes nihil ejus præjudicium ad se pertinere, suo more *pascha die decima quarta* celebrare pet-

rexerunt.

rexerunt. Ac ne in Occidente quidem Ecclesiæ Victoris imperium agnoverunt. Quippe *in Britannia Pascha cum Orientalibus quartadecima die Martii celebrarunt*, teste *Beda* in Historia Anglo-Saxonum. Duravit hoc Schisma usque ad primum Concilium Nicænum, in quo *Quartodecimani* condemnati, & uniformitas celebrandi Pascha Die Dominica, per Ecclesias Occidentis pariter & Orientis introducta fuit.

XI. His temporibus præclara illa Ecclesiæ lumina, *Ignatius*, *Papias*, *Polycarpus*, *Iustinus* Martyr, *Quadratus*, *Irenæus* & alii floruerunt, qui sese grassanti indies magis magisque hæresi opposuerunt. Quippe horrenda spargebant *Basilides*, *Carpocrates*, *Saturninus*, *Valentinus*, *Cerdo*, *Marcion*, *Marcus* & *Colorbasus*, *Montanus*, *Tatianus*, *Bardesanes*, *Theodorus* Byzantinus, *Praxeas* & alii monstrosarum opinionum & damnabilium errorum architecti. Fuit enim seculum hoc à nato Christo secundum, imprimis ejusmodi zizaniorum fertile, & nihil tam impium mente fingi ac concipi blasphemum potest, quod non suos repererit defensores & asseclas.

Basilidis Alexandrini opiniones fuerunt.

1. *Non Christum, sed Simonem Cyrenæum ejus angarium, passum.*

2. *Imminente persecutione Christum abnegari citra crimen posse.*

3. *Nullam*

3. *Nullam fore reſurrectionem mortuorum.*

4. *Promiſcuas libidines rem eſſe licitam.*

5. *Animas de corpore in corpus migrare.*

Omitto monſtroſas illas opiniones de Deo & creatione : itemque barbara nomina, quibus imprimis hi hæreſiarchæ delectabantur. Quippe ſua inſtar myſteriorum occulta eſſe volebant : unde etiam Baſilides ſuis ſectatoribus *ἐχεμυθίαν* ſive *ſilentium quinquennale* injunxit.

CARPOCRATES auctor *Gnoſticorum* eadem fere cum Baſilide docebat, in eo adhuc deterior, quod omnem turpitudinem velut rem ad perfectionem neceſſariam exigeret. *Nec enim animas purgari poſſe, niſi omnia prius flagitia perpetrarint* : unde etiam eas in corpora mitti per *μετενσωματώσιν*. Palam exercebant Magiam, tanta jactantia, ut multi eorum ſe Chriſto vel Apoſtolis compararint. Eadem fere SATURNINI dogmata fuerunt. Nam in his conveniebant plerique hæreſiarchæ hujus ſeculi : *Chriſtum nudum hominem & apparentem* tantum *ſine vera carne & anima* : *non eſſe reſurrectionem*, *peccata quævis eſſe licita* ; & quæ hujus generis plura ſupra retulimus in Simone Mago ejuſque progenie.

Ex omnibus his hæreſibus ſuam conſarcinavit VALENTINUS, qui Pythagoricos numeros & opiniones gentiles ac fabulas

Reli-

Religioni Chriſtianæ immiſcuit. Monſtroſas de Dei creatione opiniones referre opus non eſt.

I. *Chriſtum* dicebat *natum per Virginem non de Virgine*, id eſt, *eum carnem è cœlo detuliſſe*, neque *quicquam de Maria aſſumpſiſſe, ſed per eam tranſiviſſe ſicut aqua per rivulum aut canalem labitur.*

II. *Homines eſſe triplices, Spirituales* quales Gnoſtici, qui natura, ſola cognitione & myſteriis, quicquid tandem fecerunt, neceſſario ſalventur: *phyſicos*, qui ex fide & bona actione ſalventur: *materiales*, qui damnentur.

III. *Vxores debere eſſe communes: omnia peccata eſſe licita.*

IV. *Animam tantum ſalvari, corpus interire.* Cætera abſurditatum plauſtra apud Irenæum videantur. Ejuſdem furfuris *Cerdon* & *Marcion* fuerunt. Dogmata peculiaria hæc:

I. *Duos eſſe Deos, bonum & malum.*

II. *Chriſtum in hominis forma putative tantum natum & paſſum.* Admittebant quidem carnem Chriſti, ſed cœlo delatam, non vero natam.

III. *Omnes creaturas eſſe malas, & Mundum eſſe opus Deo indignum.*

IV. *Legem eſſe juſtam, non bonam.*

V. *Cain, Sodomitas, Ægyptios, & omnes impios ſalvatos eſſe à Domino cum deſcendiſſet ad inferos & occurriſſent ei, contra damnatos*

natos Abel, Enoch, Noë, Abraham, omnes Prophetas, & justos.

VI. *Mortuos, sine baptismo defunctos, esse baptizandos.*

VII. *Ter licere baptizari*, etiam per mulieres in casu necessitatis.

VIII. *Generationem esse rem illicitam.*

IX. *Solam animam salvari.*

X. *Iudaïsmum instaurandum per Messiam* qui nondum advenisset. Ex Scripturis, non nisi Euangelium *Lucæ*, ex Epistolis *Pauli* ad Timotheum, Titum & Philemonem, neque tamen integras sed mutilatas, omissis quæ errores eorum confutabant, receperunt. Quæ quidem Secta magna per universum Orbem cœpit incrementa & plurimos martyres habuit.

Marcus & *Colorbasus* prioribus erroribus adstipulantur.

MONTANUS Phryx natione, cujus sectatores propterea etiam *Cataphryges* dicti.

I. *Prophetas non intellexisse quæ dicant.*

II. *Mortuos baptizabant.*

III. *Primas nuptias tantum esse licitas.*

IV. *Conjugium pro arbitrio posse dissolvi.*

V. *Semel lapsos non posse consequi Remissionem peccatorum.*

VI. *Rebaptizabant suos.*

Hic Montanus à spiritu vesano agitatus, instar Judæ proditoris se cum *Maximilla* amasia sua suspendit.

XII. *Quartam* persecutionem sub ANTONINO

TONINO Philoſopho flagrantem, cum eam nullæ apologiæ poſſent inhibere, ſtitit *Legio Melitina*, quæ precibus ſuis fulmina ac nimbos contra Quados, Romanis ſiti emorientibus, largiſſimam pluviam cœlitus impetravit. Oroſius l. VII. 9. Ac duravit Eccleſiis pax etiam ſub monſtro illo & Reip. peſtilentia *Commodo*, unde mira fidei Chriſtianæ per univerſum orbem incrementa, adeo ut Irenæus III. 4. referat *florentiſſimas Eccleſias fuiſſe, in Germania, in Hiberis, Celtis, Oriente, Ægypto, Lybia, & Aſia*; articulos etiam quos crediderint, recenſet, qui fere conveniunt, cum Symbolo, quod vocamus Apoſtolico. Gentiles igitur ut ruentem Idololatriam quoquo modo fulcirent, *ſublata Deorum multitudine unius Dei cultum introduxerunt*, ac contra Chriſtianiſmum acerrime ſcripſerunt. Omnes vero ingenii ſubtilitate ſuperavit *Porphyrius* Theologorum gentilium peritiſſimus, de quo Euſeb. IV. πρ9π. 4. V. 5. Humana etiam ſacrificia paſſim per Orbem Rom. penitus ſublata ſunt. Euſeb. IV. πρ9π. 7. 8. V. 1.

XIII. Sub SEVERO *Quinta* exarſit Perſecutio, eaque immanis, cum paſſim rivi *Chriſtiano ſanguine ſpumantes decurrerent*. Maxime Ægyptum & Thebaidem illa laniena exhauſit: quo tempore etiam *Leonidas* Origenis Pater, ſacrum in Martyrio ſanguinem fudit, cum quidem *Origenes* etiam-

etiamnum puer & ipſe martyrii obeundi ſummo flagraret deſiderio, & patrem in carcere per Epiſtolam ad conſtantiam his verbis adhortaretur, *Cave tibi ne propter nos aliud quid cogites.* Hujus ORIGENIS clara imprimis per omnes Eccleſias fama & ſumma authoritas fuit. Adoleſcens XVIII. annorum Catechiſtæ munus in Eccleſia Alexandrina ſuſcepit. Dicitur quoque ſeipſum caſtraſſe ex male intellectis Salvatoris noſtri verbis: *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Matth. XIX Et hanc caſtrationem, alii ferro, alii pharmaco factam tradunt. Quod quidem imprudens & temerarium factum, cum publice incognitum eſſet, tandem *Demetrius* Epiſcopus Alexandrinus, invidia & odio accenſus, propalavit. Orta etiam hac occaſione fuit hæreſis *Eunuchorum*, qui Origenis interpretationem ſecuti, *neminem recipiebant, niſi caſtratum*, ac *renuentes per vim execabant.* Fuit omnino Origenis ſumma & incomparabilis eruditio cum in omni ſcientiarum genere, tum imprimis in Sacris Scripturis, ad quas eo melius interpretandas, exactam *linguæ Hebrææ, Chriſtianis fere incognitæ*, notitiam ſibi comparavit ac varias editiones & verſiones LXX. Aquilæ Pontici, Theodotionis, Symmachi, ignotorum autorum Hierichunte & Nicopoli repertas, comparavit diſpoſuitque ordine, unde nata ipſi Hexapla & Octa-

Octapla. Illustravit etiam omnes Sacræ Scripturæ libros doctissimis Scholiis, Homiliis & Tomis. Tantus Vir post immensos pro Ecclesia exantlatos labores, non tamen caruit suis nævis, ac magnæ ob eum turbæ paulo post excitatæ fuerunt. Duo imprimis ei objiciuntur, *Apostasia* & *Hæresis*. Quod *Apostasiam* spectat, sub Deciana persecutione dicitur *tus* adolevisse Diis gentilium, metu Æthiopis, cui constuprandus dabatur. Cujus quidem lapsus testes sunt *Eusebius*, *Epiphanius*, & alii, qui & hoc addunt, *ingenti pœnitentia Origenem propterea correptum*, adeo quidem, ut cum in Ecclesia Hierosolymitana publice concionandi munus ipsi impositum fuisset, evoluto Psalmorum libro, ex Psalmo L. hæc verba recitarit: *Impiis dicit Deus, &c.* Quo dicto uberrimis lacrymis obortis, conticuit libro complicato, complorante simul tota Ecclesia. Baronius hanc apostasiam in dubium vocat ac fabulosam putat, quicquid de turificatione & Æthiope tradatur, quod quidem suo loco relinquimus, sed ab hæresi vix excusari potest, & multi ex scriptis ipsius in graves delapsi sunt errores, qui *Origeniani* dicti. Unde vulgo de Origene dicitur: *ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus.*

XIV. Floruit tum quoque TERTULLIANUS Afer, eruditissimus & disertissimus Scriptor, qui causam Christianorum gravi Apolo-

Apologia egit, eosque ab horrendis illis *infanticidii, Thyestearum cœnarum* & *incestus* criminibus, quæ omnium persecutionum causæ, vindicavit. Cujus quidem scripta tanti fecit CIPRIANUS Carthaginis Episcopus, ut quotiescunque ea à notario posceret, his vocibus uteretur: *Da Magistrum.* Sed & hic tandem in Montani hæresin delapsus, gravibus erroribus famam suam & conscientiam conspurcavit. Quanta eo tempore Ecclesiarum simplicitas fuerit hinc patet, quod Zepherinus Papa statuisse dicitur: *Vt consecratio Sanguinis Domini in vitreo vase, non in ligneo fieret.* Testatur tamen Hieronymus suo ævo adhuc Exuperium Tholosanum Episcopum *calice vitreo & vimineo canistro*, sacram cœnam ministrasse. Adeo verum illud Gregorii M. dictum fuit: *Cum aurei Sacerdotes essent, calices habuerunt ligneos, nunc cum lignei sint Sacerdotes, calices volunt habere aureos.* Quanta Tertulliani ævo Christianorum multitudo fuerit, testatur in Apologia: *Externi sumus & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Senatum, forum.* Idem: *Si hostes agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni ipsique Parthi, quam totus orbis?* Adeo ut gentiles conquererentur: *per universum orbem serpere malum* illud. *Cæcilius* apud Minut. in Octavio.

XV. Sub

XV. Sub ALEXANDRO Severo pax Eccleſiis conſtitit, quod *Mammæa* Auguſta Religioni Chriſtianæ faveret, ipſe etiam Princeps in larario ſuo inter alios Divos *Chriſtum* quoque & *Abrahamum* coluit. Quod gentilis Principis exemplum mirum eſt Jeſuitas pro imaginum cultu allegare, cum conſtet, imagines non niſi hæreticorum ea tempeſtate, ut *Baſilidis* & *Carpocratis*, fuiſſe, teſte Irenæo 1. 23, 35.

Sextam perſecutionem MAXIMINUS movit, cui mox Septima ſub *Decio* ſucceſſit, cruentiſſima. Quis Martyrum memoriam condignis verbis celebrare poſſit? Inprimis vero *Babylas* nonagenarius Antiochiæ cum tribus filiis ſupplicio affectus ad aſtantes: *Ecce ego*, inquit, *& pueri mei quos dedit mihi Dominus.* Ut autem ſe & eos conſolaretur: *Revertere*, inquiebat. *anima mea in requiem, quoniam Dominus tui miſertus eſt* Etjam jam moriturus rogabat: *Nolite me ſepelire ſine catenis iſtis, ne mihi in poſtrema die carendum ſit ornamentis meis.* Tum horrenda à carnificibus reperta fuerunt ſupplicia, ut nullus Buſiris vel Phalaris atrociora excogitare potuerit.

XVI. Hæc *perſecutio* primam occaſionem vitæ eremiticæ dedit, ex qua poſtea Monaſtica originem ſumſit. Quippe *Paulus* Thebæus juvenis XV. annorum, ut periculum evaderet, in ſolitudinem confugit, ac reperta grandi ſpelunca, quæ ſub Cleo-

Cleopatra officina furtivæ monetæ fuerat, xc. annos ibidem in orationibus exegit, *cibum ipsi & vestimentum palma præbente.* Ejus exemplum secutus est *Antonius*, qui & ipse per 90. fere annos vitam in solitudine vastissima traxit. Ab his duobus omne *Eremitarum* ac *Monachorum* genus fluxit. Tertius fuit *Hilarion*, à quo Monachi Palæstinæ & Syriæ profecti.

XVII. Nec interna defuerunt Ecclesiis certamina. Duplex inprimis controversia tum agitabatur. Una, *an lapsi pœnitentes ab Ecclesia essent recipiendi?* altera, *an ab hæreticis baptizati, rebaptizandi?* Et prior quidem quæstio originem ex persecutione habuit, in qua, cum plurimi metu tormentorum deficerent, *Novatus* Presbyter Romanus censuit, *non esse unquam recipiendos tales apostatas, etiamsi pœnitentiam agerent.* Contra, *Cornelius* Episcopus Rom. & *Cyprianus* Carthaginiensis habitis Synodis statuerunt, *tales esse recipiendos.* Erant autem *duo* apostatarum genera. Quidam *thura Diis gentilium adoleverant*, quibus venia non nisi sub vitæ finem dabatur. Alii *pecunia data ne sacrificare cogerentur, impetrarunt.* Hos *Libellaticos* dicebant; quibus pœnitentia in aliquot annos irrogata. Nihilominus *Novati* pertinacia grave schisma in Ecclesia concitavit, quod diu post duravit & tandem in *Donatismum* evasit. Nec mitior tempestas ex controver-

sia

ſia de rebaptizandis exórta fuit. Diſſentiebant ea in re *Stephanus* Epiſcopus Romanus & *Cyprianus*: ille, *non rebaptizandos* dicere, *hic, rebaptizandos*. Et quanquam Stephanus cauſa potior fuerit, tamen ſua *iracundia & præcipitantia malum exaſperavit potius, quam ſanavit, dum propterea Eccleſias Africanas & Orientales inaudita audacia excommunicavit, ac legatos Epiſcopos non modo colloquio, verum etiam lecto & hoſpitio* arcuit. Hinc magna indignatio in Africa & Oriente ac triſte iterum ſchiſma natum fuit.

XVIII. Supra omnia hæc *Sabellius* Afer non novam quidem hæreſin condidit, ſed fere collapſam inſtauravit: quippe ante eum *Praxeus* autor *Patripaſſianorum* idem docuerat, eumque ſecutus *Noetus*, quo præceptore uſus fuit Sabellius, à quo *Sabelliani* dicti, & quoniam ex pentapoli Cyrenaica ortus, *damnabilis Pentapolitana doctrina* à patribus appellatur. Hi *confundebant perſonas divinas ſublata Trinitate, unam tantum introducentes, & Patrem, Filium, & Sp. S. tria tantum nomina non hypoſtaſes aſſerebant*, adeoque, *ut Chriſtus, qui pro nobis paſſus, non minus Pater fuerit, quam Filius & Sp. Sanctus*: unde & ὑιοπατέρα appellabant, quaſi dicas *Patrifilium*, teſte Athanaſio. Summa igitur hujus peſtiferæ doctrinæ hæc fuit: *Vnam tantum eſſe Divinæ Eſſentiæ perſonam, quæ*

tribus nominibus distinguere.

XIX. Sequitur *Octava* universalis Persecutio, quam *Valerianus* movit, in qua duorum inprimis martyria celebrantur, S. CYPRIANI, & LAURENTII Diaconi Romani. Et *Cyprianus* quidem capite plexus fuit: *Laurentius* autem in crate subjectis carbonibus lento igne tostus, tanta animi constantia, ut adusto latere inclamaret Tyrannum: *assum est, verte & manduca.*

XX. Interea *Nepos* quidam Episcopus Ægyptius Ecclesias turbavit, dogmate Chiliastico, ex male intellecta Apocalypsi Johannis, resuscitato. Diximus supra, ejus sententiæ primum autorem fuisse *Papiam* Apostoli Johannis auditorem, à quo id tanquam certum *Irenæus*, *Iustinus Martyr*, *Tertullianus* suscepere & scriptis suis propagarunt. Sed majorem Ecclesiis pestem *Paulus* Samosatenus Episcopus Antiochenus invexit, qui Sabellii veneno dudum contaminatus, in eo Magistrum superabat, *quod omnem penitus Divinitatem I. Christo detraxit, nudum eum hominem faciens singulari justitia præditum.* Dici autem Filium Dei *propter Divinas operationes.* Summa igitur doctrinæ Samosatenianæ in hoc præcipue capite consistit: *Christum non esse verum & æternum Deum, Filium Dei, λόγον personalem & substantialem: sed nudum hominem ex Maria natum, justum quidem,*

dem, sed non verum Deum, λόγον prolativum tantum. id est, Legatum ac Oratorem Dei.

XXI. Quid autem ad hanc hæresin impulerit *Paulum* tantæ EcclesiæEpiscopum, operæ pretium est ex Euseb. intelligi. Is tradit, *Zenobiam* Palmyrenorum Reginam Judaizantem fuisse. Quanta sub ignavissimo mortalium Imperatore *Gallieno* ejus Zenobiæ per universum Orientem authoritas, quanta potentia fuerit, ex Historiis notum cuivis esse debet. Hæc igitur *Amazon* ac Imp. Rom. tum temporis contra barbaros *columna*, idoneum videbatur P. Samosateno *Christianismi* & *propagandi* & à *persecutionibus liberandi instrumentum*, siquidem nomen suum inter Christianos profiteretur. Dimidiam illa viam confecerat: à gentilismo ad Judaismum accesserat, id restabat unum ut *Christo manciparetur*. Quod cum P. Samosatenus *secundum Scripturam facere debuisset Apostolico more*, ostendendo ex Mose & Prophetis, *Iesum esse Christum illum:* ipse aulico more obviam Reginæ processit ac remittendo fidem Christianam, quod caput ejus erat, Christum esse verum ac naturalem Dei Filium, in Reginæ gratiam negavit.

XXII. Cum igitur hæc hæresis invalesceret, Ecclesiæ Synodum convocarunt *Antiochiæ*, quæ de tota causa cognosceret. In ea Synodo æterna Divinitas J. Christi ex S. Scripturis repetita fuit, ac

Paulus Samosatenus ad palinodiam adactus. Sed cum Punica fide ac subdole ageret, altera contra eum Synodus *Antiochiæ* instituta fuit, anno Aureliani Imp. 11. in qua convictus erroris à Malchione ejusdem Scholæ Rectore, ac fraudulentia ejus detecta, Episcopatu dejectus, hæreseosque damnatus fuit.

XXIII. Mox longe pejor emersit Manichæorum, à *Manete* condita, quæ totum Orbem Christianum misere infecit. Primus nefariæ hujus doctrinæ autor refertur fuisse *Scythianus* quidem Saracenus, qui *Pythagoræ* & *Empedoclis* dogmata cum Christiana fide permiscuit. Ejus discipulus fuit *Buddas*, qui doctrinam nefariam scriptis complexus, post obitum omnia reliquit *Cubrico* cuidam, qui se *Manem*, sive *Manetem* appellavit. Hic scripta Buddæ suo sub nomine publicans, lege & Prophetis abrogatis, seipsum *Paracletum* & *Apostolum* jactavit.

Summa doctrinæ ejus capita hæc recenseri possunt:

1. *Duos esse Deos æternos*, unum *bonum*, alterum *malum*.

2. *Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma quoddam.*

3. *Legem veterem esse malam.*

4. *Peccata non posse ullo modo evitari.* Duas in homine docebant esse mentes, unam *malam* à malo principio, eam videlicet,

cet, quam nos vocamus *concupiſcentiam* carnis, alteram *bonam*, id eſt, animam rationalem.

5. *Nuptias eſſe illicitas.*

6. *Totum V. Teſt. eſſe à Dæmone, & malum.*

7. *Magiſtratum, carnem, ſubſtantiam rerum eſſe à Dæmone.* Errandi autem occaſionem ſumſit Manes ex illis S. Scripturæ phraſibus, quæ Deo videntur tribuere cauſam malorum, ut quando dicitur *Ignis conſumens:* imprimis locum Pauli ex II. Corinth. 3. ad palliandam hæreſin ſuam, in quibus *Deus ſeculi hujus excæcat mentes*, arripuit. Erat cetera hæreſis craſſa & rudis, de qua *Alb.* Magnus in 2. ſent. diſt. art. 2. inquit: *hæreſis Manichæi nunquam habuit in ſcientia defenſorem quia nunquam habuit rationabilem poſitionem, quæ etiam ſatis parum literato probabilis poſſit videri.* Sed nunc quem vitæ exitum blaſphemus hæreſiarcha habuerit, audiamus.

XXIX. Ægrotante *Saporis* Perſarum Regis filio, Manes jactabat in aula, ſe *precibus eum ſuis abſque ulla medicina curaturum.* Dimiſſis igitur Medicis, Maneti cura committitur, ſed tam infelici ſucceſſu, ut Filius Regis non multo poſt ingenti patris luctu extingueretur. Conjectus igitur in vincula Manes, cum dolo aufugiſſet, retractus ex fuga, ultimo afficitur ſupplicio eoque atroci. Quippe pelle vivo detra-

cta, corpus reliquum bestiis objectum: cutim vero, qua tanta improbitas continebatur, Rex ante portam, *tanquam utrem spectaculo omnibus suspendi jussit.* Hic finis Manetis fuit. Sed damnanda hæresis nihilominus longe lateque propagata per orbem Christianum fuit.

XXV. Quod autem plerumque fieri solet, ut res secundæ ac longa pax insolentiores reddant homines ac vitiis corrumpant, idem, in diuturna illa ab hostibus exteris pace, Christianis accidit. Erat enim summa jam tum in moribus, in vita ac in fide etiam non levis Christianorum corruptio, quæ maxime Clerum infecerat, *in quorum vultu simulationem, corde dolum, verbis fallaciam cernere licuit; livore, superbia, inimicitiis inter se certantes, tyrannidem potius quam sacerdotium sapere videbantur, Christianæ pietatis omnino obliti divina mysteria profanabant potius quam celebrabant*, ut *Eusebius* de illorum temporum statu conqueritur. Ergo Deus tanto ulceri ac tam putrido *ferrum* & *ignem* admovit, immissa decima persecutione & ultima sub *Diocletiano*, quæ per x. continuos annos duravit. Initium ejus factum ipsa *Paschatis* die, quem Tyrannus elegerat, ut *Christiani magno numero in templis collecti simul opprimi possent.* Et cum non ubique eodem tempore celebrarent Pascha, hinc in Ægypto citius, mense nimirum

Martio,

Martio, tardius in *Palæstina* persecutio cœpit. Ab hac persecutione Ægyptii peculiarem æram condiderant, quam vocant *Martyrum*, ab aliis Æra Coptitarum. Ergo ipsa Paschatis die *templa omnia eversa, libri exusti, Christiani ad supplicia raptati.* XX. millia in templo Nicomediæ combusta, in Ægypto uno mense XVII. millia trucidata. Quippe *certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam postea Episcopatus pravis ambitionibus appetebantur.* Magnifice *Sulpicius* Severus hanc lanienam describit: *Nullis unquam bellis mundus magis exhaustus, neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum* X. *annorum stragibus vinci non potuimus.* Etiam ipsi milites Christiani celebrem fidei triumphum reportarunt, & Legionem *Thebæam*, quod nollet Idolis sacrificare, decimari Maximianus jussit. In Britannia omnes fere Christiani excisi, quos inter celeberrimus Martyr *Albanus*. Denique, *adeo in Christianos toto orbe sævitum, ut nomen eorum extinctum crederetur.* Unde nummi à *Diocletiano* cum hac inscriptione cusi: NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, *qui Remp. evertebant.* Hæc persecutio etiam post Diocletianum & Maximianum, cum se jam Imperio abdicassent, nihilominus atrociter continuata fuit à *Galerio* in Oriente, *Maximino* in Africa, *Maxentio*

Romæ & in Occidente. Cum quibus misere extinctis (nam *Galerius* à vermibus corrosus, *Maxentius* in Tiberi submersus, perierunt) cessavit persecutio simul & paganismus, ac Ecclesia Christiana ex servitute in libertatem, à *Constantino Magno* primo Imperatore vere Christiano, vindicata, de Idololatria triumphavit, ac *Christus Regnum Satanæ pedibus suis subjecit.*

ARTICULUS III.

A CONSTANTINO M. *ad Antichristum.*

I. CONSTANTINUS M. Tyrannis *Maxentio, Maximino* & *Licinio* sublatis, qui persecutionem à Diocletiano motam vesana mente continuabant, primus Principum sincere Christianus, *Idololatriam gentilem exulare, fidem Christi in Imperio Romano regnare jussit.* Tum temporis *adempta gentilibus templa & Christianis data*, novam Ecclesiæ faciem, novos spiritus dederunt. Gentiles urbibus cum suis Sacris ejecti; cum fere in pagis & ruri latitarent, *Paganorum* inde nomen tulerunt. Confirmatus autem in fide Christi *Constantinus* fuit, cruce in nubibus ipsi contra Maxentium pugnanti apparente, cum tali inscriptione, *ἐν τούτῳ νίκα. In hoc vinces.*

II. A quo tempore splendor in Ecclesia cum luxu, ac quæ inde oriri solent malis, invalescere cœpit. Structa passim magnifica

fica templa ac omni ſplendore exornata, imprimis *Hieroſolymæ*, tum ab ipſo Conſtantino, tum à matre ejus *Helena*. Duo hic in diſquiſitionem veniunt: miraculum illud de *pedibus Chriſti, cum aſcenderet in cœlum, monti Oliveto impreſſis indelebili veſtigio*: alterum, de *inventione & exaltatione Dominicæ crucis*. Utriuſque, cum multis antiquorum aliis, autor eſt *Sulpicius* Severus, nimis, ut videtur, credulus. Nam utrumque ſequioris ævi figmentum eſſe, multis magniſque argumentis oſtendi poteſt. Quippe *Euſebius* vitæ Conſtantini Magni diligentiſſimus Scriptor, cum exactiſſime totam templi in Monte Oliveti ſtructuram deſcribat, nullo tamen verbo hujus miraculi meminit, haudquaquam prætermiſſurus rem, ſi vera fuiſſet, imprimis memorabilem & confutandis Ethnicis magnum uſum præbituram. Accedit quod neque *Socrates*, neque *Theodoretus*, neque *Sozomenus*, neque ipſe fabularum multarum pater *Nicephorus*, qui tamen de crucium inventione multa nugantur, hujus quicquam referant. Ut prior hæc fabula merito ab ipſa antiquitate exploſa fuerit. Quod vero cruces ſpectat, rem ita referunt: *Helenam ſtudio crucis dominicæ inveniendæ, montem Golgotha purgari magna hominum multitudine imperaſſe; ac tum egeſtis ruderibus tres cruces repertas fuiſſe. Cumque ſollicita eſſet dignoſcendæ crucis do-*

minicæ, ne pro cruce Domini, latronis patibulum consecraret', fidem miraculo factam. Quippe mortuum primo frustra duabus crucibus admotum, cum Dominicam tetigisset, statim resuscitatum inter spectatores adstitisse. Ita rem referunt. Nunc qua fide videndum est. Equidem, vel hoc solum vanitatem fabulæ satis redarguit, quod apud Eusebium, ubi narrat purgatum templo struendo locum, de inventa cruce ac miraculo ne γρῦ quidem occurrat. An tacuisset, si quisquam tale tum vel fando audivisset? Plurima sunt argumenta redarguendæ vanitati: alia quæ præterimus & videri possunt apud Salmasium in Epistola de cruce, ac alios. Omitto etiam super omnes aniles fabulas, *pudendam donationem Constantini Magni*, qui lepra affectus, cum in *Balneo puerilis sanguinis eam mundare* à gentilibus juberetur, à *Sylvestro Papa* impositione manuum curatus, *totum occidentem cum urbe Roma donasse ipsi perhibetur*, impudenti sane mendacio, qualibus fere superstruuntur totius Papatus hodierni fundamenta. Præcipuum quod sub Constantino Magno Ecclesiis accidit malum *Arianismus* fuit, de cujus origine, incrementis, & quantum mali fidei Christianæ intulerit, nunc dicendum est.

III. Originem & nomen hæc hæresis habuit ab *Ario*, sive ut Sulpicius scribit, *Arrio*, Presbytero Alexandrino, διδασκάλῳ-

πλεονεκτικωτάτῳ ac imprimis ambitioso. Causa impellens *invidia* fuit: *invidebat enim Episcopatum Alexandro*. His eum agitantibus diris, quamvis quærebat occasionem Alexandrum carpendi ac pacem Ecclesiæ turbandi, eamque mox nactus fuit, cum Alexander *de S.S. Trinitate curiosius dissereret*. Ejus enim doctrinæ se opponere Arius: tueri eam Alexander, ac hominem turbulentum Ecclesia ejicere: unde exul sectatores plurimos eosque non infimæ notæ nactus, novam condidit hæresin, cujus præcipua hæc erant capita: *Christum Deum esse; at in Trinitate alium esse Patrem à Filio, Spiritum Sanctum alium à Patre & Filio:* sed *Filium esse Deum minorem Patre, etiam quoad Deitatem, creatum, sed* ἐκ μὴ ὄντων *ante omnium rerum primordia, per quem, tanquam organum, Pater omnia condiderit, & aliam esse Filii essentiam ab essentia Patris: neque esse coæternum & coæqualem Patri Filium: Sp. Sanctum vero ne Deum quidem esse, sed creaturam Filio cooperantem in creatione. Has tres Personas esse inæquales natura & honore.* Uno verbo: *Ex Filio Dei creaturam faciebat, ex nihilo in tempore ante mundum conditum, creatam:* Unde hoc celebre ejus dictum erat: ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν: fuisse tempus quo filius non fuisset, ut *Sulpicius* interpretatur. Hæc pestilens hæresis totum mox orbem Christianum velut lues quæ-

dam & contagio, ingenti cum Ecclesiarum damno pervasit.

IV. CONSTANTINUS novum hoc fidei vulnus gravissime, ut pium decebat Principem, tulit, ac omnia media concordiæ initio, tum per literas ad Alexandrum & Arium scriptas, tum per *Hosium* Episcopum Cordubensem tentavit, prudenter mon. .s, *ne mysteria simpliciter credenda potius quam curiose investiganda, in certamen adducerent.* Sed cum nil horum succederet ac malum in dies augeretur, quod unum restabat, SYNODUS NICÆÆ in Bithynia ex universo orbe Christiano convocata fuit ac summa frequentia celebrata: *Trecenti* & *duodeviginti* vulgo traduntur interfuisse Episcopi, quanquam alii plures, pauciores alii numerent. Præses fuit HOSIUS Cordubensis ac *primo loco nomen suum subscripsit.* Conscripta igitur à Patribus Orthodoxa fidei formula, quam *Symbolum Nicænum* vulgo vocamus, hæresis Arrii ac *omnium, æternam Iesu Christi Divinitatem negantium,* damnata fuit, his inprimis duabus vocibus, quod *Filius Patri esset* ὁμοούσιος & συναΐδιος, quæ totam Arrii doctrinam penitus evertebant: unde *Eusebius* Nicomediensis Ario longe versutior eas amplecti nolebat. Damnatio facta fuit in hæc verba: *Qui dicunt, Erat quando non erat, & priusquam gigneretur non erat, aut quod ex nihilo factus est, aut ex alia substan-*

tia vel eſſentia, dicentes, eſſe creatum aut alterabilem Filium Dei, hos tales ANATHEMATIZAT *Catholica* & *Apoſtolica Eccleſia.* Miſſus cum aſſeclis in exilium Arius, ac ſcripta ejus combuſta, detinereque ſub capitis pœna prohibitum. *Paſchatis* quoque antiqua controverſia, & *Novatianorum* ſchiſma tum eadem Synodo compoſitum fuit, dicente, ad *Aceſium* pertinaciter lapſos à venia excludentem, Conſtantino: *erigito igitur tibi ſcalas Aceſi & ad cœlum ſolus aſcendito.* Cœlibatum, cum nonnulli clero imponere vellent, reſtitit cœlebs *Paphnutius*: quare *libertas matrimoniorum relicta cupientibus.* Conſtituti etiam tres Patriarchatus, à quibus aliæ Eccleſiæ dependerent: *Romanus*, *Antiochenus* & *Alexandrinus.*

V. Sed quid profuit proſcripſiſſe Arium, cum mox ab exilio revocandus ſit? Enimvero triſte id imprimis Eccleſiæ accidit, quod *Conſtantinus Magnus* ſub vitæ finem in Arianiſmum delapſus per Arianum Presbyterum. Ipſe Arius ſimulata & ſubdola fidei confeſſione edita, in Alexandrinam Eccleſiam recipi volebat. Cumque *Athanaſius* Epiſcopus hæreticum recipere nollet, ab irato Imperatore Trevirim relegatus, ipſe autem Arius Conſtantinopolim vocatus fuit, ut ibi in Eccleſiam reciperetur: Sed ante ipſam admiſſionem ad preces *Alexandri* Epiſcopi, *in cloaca*

effuſis

effusis intestinis, vitæ blasphemæ condignum exitum habuit.

VI. Erat *Ecclesiæ post Concilium Nicænum status sane luctuosissimus*, cum Ariani tanquam acquiescentes decreto Synodi ita subscripsissent, ut tamen hæresin suam clam retinerent. Itaque hi τῷ ὁμοουσίῳ, suum opposuerunt ὁμοιούσιον. Hinc mox nova certamina. Quippe cum *Eustathius* Episcopus Antiochenus scriptum edidisset pro defensione ὁμοουσίου, responderunt ei Arriani, ita ut ὁμοιούσιον assererent rejecto ὁμοουσίῳ. Ob hanc controversiam novum Antiochiæ concilium habetur, in quo Ariani *Eustathium* Antiochenum & *Athanasium* Alexandrinum, Catholicorum Episcoporum facile Principes, confictis criminibus accusant & Eustathium objecto adulterio Ecclesia depellunt. Hinc *in Athanasium totis viribus conversi omne calumniarum virus in eum effuderunt*. Tria imprimis ipsi tum objecta: *quod manum mortuo Arsenio desecuerit*, quod *sacrum calicem confregerit*, quod *stuprum commiserit*: quæ omnia ita falsitatis coarguit Athanasius, ut innocentiam suam toti mundo ac ipsi Constantino probaret. Nihilominus novis calumniis victo Imperatore, ut *quod minatus esset Athanasius, se frumenti curationem impediturum esse*, in exilium, ut diximus, mittitur.

Nec diu superstes Constantinus fuit,

quem paulo ante obitum Eusebius Nicomediensis baptizavit; quanquam hoc ab Arianis confictum, ac jam ante Romæ baptizatum à Sylvestro Constantinum, Baronius velit.

VII. Hactenus post Concilium Nicænum, Ariani eorumque *Signifer Eusebius* Nicomediensis, utcunque Orthodoxiam simulaverant, metu Imperatoris. At eo nunc è vivis sublato, *flamma hæreseos diu compressa iterum vehementissime erupit*, cum nacti essent Fautorem *Constantium*. Erat autem Arianæ impietatis Dux ac Caput *Eusebius* Episcopus *Nicomediensis*, à quo *Eusebiani* dicti. Qui cum apud novum Imperatorem omnia posset, homo *callidus & subdolus* ita incrustavit *cruda Arii* dogmata, ut verbis consentire cum Orthodoxis videretur, ac cætera fere omnia admitteret, *solam autem ὁμουσίας vocem repudiaret*. Quibus quidem artibus quantum nocuerit Ecclesiæ, decipiendo rudiores ambiguitate ac specie verborum, dici non potest. Sed huic serpenti versipelli Deus opposuit *Athanasium* Episcopum Alexandrinum, qui *incredibili constantia, fervore, magnitudine animi, cum extremo vitæ periculo*, strophas hæreticorum detexit, ac solus fere omnium Arianorum telis ac ipsius Imperatoris iracundiæ se opposuit.

Cujus nunc contra *Eusebianos certamina*,

mina, passiones, victoriæ, exponendæ sunt.

VIII. *Athanasius* hactenus Treviris exul, post Constantini M. obitum à filio ejus Constantino Juniore in Episcopatum Alexandrinum restitutus est. Sed *Eusebiani*, cum eo superstite frustraneas fore omnes spes suas viderent, novis ipsum calumniis Constantio jam ante infenso, exosum reddebant. Quid opus est omnia calumniarum genera referre? *Cædes, adulteria, furta, quidquid atrox confingi poterat, sancto viro objiciebantur.* Unum vero ingens crimen, *quod ὁμοȣσίȣ vocem defenderet.* Ergo cum Romam profugisset, in locum ejus intruditur *Georgius* Arianus, *Lupus* potius quam *Pastor*: ac hujus exemplo *Eusebius* pulso *Paulo*, sedem *Constantinopolitanam* invadit, cui mox defuncto ab Orthodoxis denuo suffectus *Paulus*, ab Arianis *Macedonius*. Hinc *horrenda in urbe cædes ac tumultus*, donec tandem Macedonius non sine civium trium millium sanguine throno potiretur.

IX. Hæc rabies *Arianorum* cum in dies invalesceret, *Constans* Imp. Synodum *Sardicæ* convocavit, ubi ccc. Occidentalium, Orientalium LXXX. convenere Episcopi. In hac frustra reluctantibus Arianis, *Athanasius* & *Marcellus* absolvuntur, ac *Nicæna* fides confirmatur. Cæterum, cum paulo post *Constans* Imp. dium suum obiisset, toto imperio ad solum Constantium devo-

devoluto, Ariani *majore quam hactenus auſu Orthodoxos optugnare cœperunt.* Fit igitur *novus in Athanaſium impetus*, ac Mediolani factione Arianorum damnatur, pulſis qui ejus damnationi ſubſcribere nolebant, inter quos fuerunt *Hilarius* Pictavorum Epiſcopus, & *Liberius* Epiſcopus Romæ, qui tamen paulo poſt in Arianiſmum delapſus, ſedem ſuam recepit.

X. Sed jam *ipſi Ariani* in diverſas ſententias ſectaſque dividuntur: adeo, cum una ſit veritas, nunquam ſua mendaciis ratio conſtare poteſt. Quidam enim cum *Ario*, filium ἐξ οὐκ ὄντων factum ac *Patri* per omnia ἀνόμοιον *diſſimilem* dicebant, ut *Acacius* Cæſareæ, *Vrſacius* Tyri, *Eudoxius* Conſtantinopolis, *Aëtius* Athenarum, *Eunomius* Cyzici Epiſcopus. Hi *Acaciani*, *Aëtiani, Eunomiani, Exucentiani & Arumæi* vulgo dicebantur. Contra, alii *anathema* denunciabant illis *qui Filium Patri diſſimilem* aſſerebant. Hi dicti *Semi-Ariani* & *Eudoxiani.*

XI. Nihilominus ea hæreticorum *pervicacia*, is *aſtus* fuit, ut quanquam inter ſe diſcordes, *communi conſenſu Orthodoxos* opprimerent. Quid enim difficile iis, qui Imperatore *Conſtantio ad lubitum abutebantur?* Hactenus Occidentalis Eccleſia in fide conſtiterat. Sed nunc proh dolor! *Ariani*, quam non minis, non terrore ſuperare potuerant, aſtu eam in fraudulentia

lentia decipiunt. Stabilita erat *fides Nicæna* in *Ariminensi* Concilio A. CCCLXIII. & *Arianorum formula* rejecta. Hi obtendentes *palam Ecclesiæ speciosum nomen & sæpe fallax*, multos Occidentalium *non intelligentes vim vocis ὁμοούσιος* deceperunt. Itaque cum *Valens* & *Ursatius* contenderent: *obtinere facile pacem posse sine ulla fidei mutatione, modo voces quædam tollerentur quæ infirmis essent offendiculo*, ut οὐσία, ὁμοούσιος, ὑπόστασις, *præsertim cum istæ voces* αὐτολεξεὶ *in Scriptura non reperirentur*, accedentibus Imp. minis, multi dolosæ Arianorum formulæ subscripserunt Occidentalium. Ac ut res majorem authoritatem ac speciem veri obtineret, Ariani subdola calliditate multos Episcoporum ex Ariminensi Concilio *Nicæam* Thraciæ traduxerunt, ac persuaserunt illis τὴν μὲν οὐσίαν καὶ τὸ ὁμοούσιον ἐξορύσσειν τῆς πίστεως, ἐνθεῖναι δὲ ἀντὶ τούτων τὸ ὅμοιον. Atque tum pulsis in exilium Orthodoxis, totius Orbis Christiani ad Arianos secuta est defectio. *Totus ingemuit orbis & se Arianum esse mirabatur.* Hieronymus. Ita NICÆNA FIDES PRIMA falso *Nicænæ* nomine condemnata, *& ita de fide triumphavit hæresis*: Sed nihilominus Deus reservaverat sibi septem millia eorum, qui genua non inflexerant Baali, ac mox iterum veritas emersit.

XII. Nam, cum *Occidentales* reipsa deprehendissent sese *ab Arianis circumventos*,

tos,

tos, professi sunt, *nunquam sibi in animo fuisse Fidem Nicææ in Bithynia approbatam deserere*, cui denuo subscripserunt, anathemate condemnantes *formulam illam ab Arianis Arimini prælectam*. Omnium vero in hac Ariana Tragœdia miserrimum, quod maximus ille Hosius Cordubensis *constantissimus hactenus Orthodoxiæ defensor*, cujus etiam *auctoritate* Nicæna Synodus convocata fuit, *extrema jam ætate* (quippe centenario major) fatiscente, ut videtur, ævo in delirium lapsus, ad Arianos defecerit. Nam cum *senex* & *dives* esset, metuebat *exilium* ac *inopiam*, ac in gratiam Constantii *ex fidei Defensore, ejus factus est Persecutor*. Et vitæ exitum horribilem nactus dicitur, cum sententiam in *Gregorium* Illiberitanæ Episcopum Orthodoxum pronunciaturus consedisset, repente *os vertit detorquens* & *cervices* ac *in terram elisus*, morte Eli, repente expiravit. Ita *Isidorus* in libro de Viris Illustribus. At vero mitiora Fl. *Iul.* Dexter in Chronico suo: qui *Hosium centenario majorem sancte pieque discessisse scribit ac testamento professum*: *Nunquam sibi propositum fuisse vel latum unguem à Fide Nicæna, nec minis nec pollicitationibus discedere.*

XIII. Inter hos Ecclesiæ incredibiles motus, en novam à PHOTINO Syrmii Episcopo & *Apollinari* tempestatem: quorum ille renovato *Sabellii* & *Samosateni* errore:

re: *nullum Christi initium nisi à nativitate ex Maria* ducebat; alter vero negabat *Christum cum carne animam* vel *mentem humanam* assumpsisse, *ejus vero loco esse ipsam divinitatem*, unde sectatores ejus *Dimeritæ* vocati.

XIV. Sed nunc major rerum CHRISTIANARUM conversio, ac *pene interitus* appropinquat. Quantum enim abfuit Ecclesia ab ultimo naufragio illis temporibus, cum *Iulianus* Apostata, *Ethnicismum* fraude & vi restituere niteretur? Quam Tragœdiam paucis edisserere animus est. Mortuo *Constantio* imperium nactus *Iulianus*, cum simulatam hactenus fidem Christi *publice abjurasset*, dictus *Apostata* fuit. Hujus præcipua cura erat ETHNICISMUM *restituere*. Igitur *delubra gentilium clausa aperuit*, *collapsa instauravit*, *Christianos præmiis*, *honoribus*, *blanditiis oppugnavit*, *liberos eorum scholis exclusit*, pejora adhuc moliturus si supervixisset. Ac ut Christianis quocunque modo ægre faceret, *Iudæis instaurandæ Hierosolymæ potestatem fecit*, Deo tamen cœlitus per fulmina & terræ motus cœptum opus interturbante. Et quanquam ipse *Iulianus* persecutionem fidelium improbare videretur: tamen gentilibus occasionem præbuit in Christianos atrociter sæviendi. *Ascalone* & *Gazæ*, *Sacerdotes* & *Virgines devotæ dissectæ*; *hordeo impletæ ac porcis objectæ*.

jectæ. *Heiliopoli* CYRILLUS ſimulacrorum dejector crudeliter interemtus; adeo ſævientibus inimicis fidei *ut jecur ejus vorarint*: quamquam mox pœnam crudelitatis ſuæ dederint, *primo omnibus amiſſis dentibus*; deinde *linguis putreſcentibus*, ac denique *cæcitate*; id quod ante decennium, anno cIↃ IↃ CLV. in *Pedemontio* imitati fuerunt, abominabile cunctis Chriſtianis facinus & hactenus impunitum, fidei Orthodoxæ cruenti perſecutores, *orbe* & *bonis*, etiam inter ipſos qui talia patrare audent, ingemiſcentibus pariter & deteſtantibus: ſed hæc ſuo loco prolixius & ordine commemorabuntur. Nunc de Juliano, qui anteſignanus talium facinorum, homine & Chriſtiano imprimis indignorum, loquimur, & cujus generis atrocia ſub Juliano facinora commemorantur complura.

XV. Quemadmodum vero hactenus ATHANASIUM *Ariani*; ita nunc *gentiles* pertinaciter perſequebantur: *quod utriſque velut* IMMOTA RUPES reſiſteret. Et *Athanaſium* quidem *Iulianus* ab exilio revocaverat, in cæſi paulo ante *Georgii* Ariani, mortalium omnium peſſimi, locum. Hic eſt ille quem vulgus S. *Georgium* vocat, & Cataphractum ac draconem cuſpide transfigentem fingit; in cujus etiam honorem ſocietates paſſim inſtitutæ ſunt: *Athanaſius* igitur cum gentilibus acriter reſi-

resisteret, ab iis accusatus iram Juliani in se concitavit, qui *misso exercitu Sanctissimum virum interfici praecepit*. Neque vero ille salutem suam ac media neglexit, sed *scapha conscensa* aufugit. Cumque milites ad persequendum missos obvios habuisset, ab iis rogatus, *num Athanasium* vidisset? *haud longe abesse respondit*, simulque praedixit, *brevi nubeculam illam persecutionis Julianae transituram* quod etiam factum est.

XVI. Quippe *Julianus* paulo post, cum in Assyria contra Saporem bellum gereret, incerti hostis ictu percussus interiit, non absque blasphema Christi in ultimo vitae articulo insectatione. Nam sparso e vulnere in aëra sanguine, *vicisti*, inquit *Galilaee*, quo nomine Christum miser mortalis per contumeliam incessebat. Sic misericors Deus impia consilia impii morte dissolvit.

XVII. Sic restituta Ecclesiis libertas ac spes gentilium frustratae fuerunt. Nam JOVINIANUS ab exercitu Imperator creatus, cum imperium recusaret dicens: *Non se posse imperare eis quod esset Christianus, responsum accepit*; Et nos *Christiani sumus*. Hic igitur Christianam fidem & Orthodoxam secundum Concilii Nicaeni decreta, suasu Athanasii restituit, sed proh dolor! optimus Princeps inter ipsa rerum magnarum initia subito exstinctus fuit, ut de eo dici possit: *Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra Esse sinent*.

Suc-

Successerunt duo fratres Valentinianus & Valens, ille *Occidentis*, hic *Orientis* Imperator; ille *Orthodoxus*, hic *Arianus*. Et quemadmodum Orientem hæresis, sic Occidentem ambitio ac luxus vastabat. Romæ inter *Damasum* & *Vrsicinum* præliis de Episcopatu certatum, cæsis in ipso templo cxxx. hominibus. Cujus quidem ambitionis causam reddit hanc Ammianus scriptor gentilis: *quod adepti Episcopatum felicissimi essent, & ipsorum convivia regales superarent mensas.* Unde *Prætextatus* urbis præfectus solebat ludens ad Damasum Papam dicere: *Facite me Romæ urbis Episcopum & ero protinus Christianus.* Valens non contentus palam favere Arianis, atrocem insuper Orthodoxis persecutionem movit. Cujus quidem impietatem Deus brevi ultus est. Nam cum Gottos, per *Vlphilam* Episcopum, Arianismo infecisset, ab iisdem paulo post prælio victus cum in rusticam casam confugisset, à supervenientibus ea incensa vivus concrematus, miserrimum vitæ exitum, sed factis dignum, habuit. Obiit tum etiam *Hilarion* Monachus, Antonii discipulus, vitæ sanctitate & miraculis clarus, lxxx. ætatis anno, qui animam suam moriturus ita affatus est: *Egredere anima mea, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? lxx. prope annis serviisti Christo & mortem times?*

XVIII. Sic

XVIII. Sic afflictis Ecclesiis velut salutaria sidera affulserunt *Gratianus* & *Theodosius*. Et *Gratianus* quidem revocatis ab exilio Orthodoxis, *Arianos velut feras bestias* Ecclesiis expulit, ac insuper legem tulit, *ut quisque quam vellet Religionem sectaretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis*. Sed cum Ecclesiarum status valde adhuc perturbatus esset, & nova hæresis MACEDONII, negantis *Deitatem Sp. S.* emergeret, celebratum fuit *Concilium II. OEcumenicum* CONSTANTINOPOLI CL. Episcoporum sub THEODOSIO I. in quo *fides Nicæna* & *Deitas* S.S. confirmata fuit. Afferebant autem Macedoniani cum reliquos Arianorum errores, tum imprimis *Deitatem Sp. S.* ex professo impugnabant: unde & πνευματομάχοι dicti. Eorum sententia erat: *Sp. S. non esse hypostasin, sed vim creatam, Dei potentia initio productam, quæ divisione essentiæ in omnes creaturas sit diffusa, & veniret in creaturarum compositionem*. Erumpebant tum temporis complures hæreses, ut *Anthropomorphitarum*, cujus conditor *Audæus* quidam *Syrus*, Deo humanam adscribentium formam ac negantium ab eo *ignem vel tenebras* creatas. Sed omnes, non recentiores modo, verum vetustas quoque, superabat renata tunc *Gnosticorum* hæresis, de qua, quia in Occidente, imprimis per Hispaniam & Galliam invaluit, paulo pressius agendum est.

XIX. *Si-*

XIX. *Simonem Magum* omnium hæreticorum patrem fuisse jam supra non semel monuimus: ex cujus Schola egressi *Menandriani*, *Saturniani*, *Basilidiani*, *Nicolaitæ*, *Valentiniani* & alii, omnes in unam *Gnosticorum* hæresin coaluerunt, quam lernam omnium pravitatum & humanæ malitiæ fastigium dicere possis. Ac cum hactenus in Oriente, maxime Ægypto, delituissent, quidam *Marcus* Ægyptius venenum hoc in Gallias primo, ac deinde Hispanias portavit. Hujus auditores fuere *Agape* mulier non ignobilis & Rhetor *Helpidius*, à quibus *Priscillianus* est institutus, familia nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus. Ab hoc *Priscillianistæ* dicti. Summa hujus hæreseos capita hæc enumerantur,

1. *Animas ante infusionem corporis peccasse.*

2. *Carnium esum esse immundum.*

3. *Duos esse Deos, bonum & malum, & ab hoc mundum creatum.*

4. *Vnam Divinitatis esse Personam tribus appellatam nominibus.*

5. *Homines fatali astrorum positura esse subjectos.*

6. *Perjurium esse licitum.* Quapropter hanc semper in ore versabant sententiam: *Iura, perjura, secretum prodere noli.*

7. *Vxores à maritis abstrahebant & vinculo conjugali liberabant.*

8. *Negabant Christum verum fuisse hominem.*

Videmus igitur, quomodo ex Manichæismo & Valentinianismo ac aliis hæresibus, sordes in Priscillianos tanquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerint.

Sed exitum Priscilliani audiamus. Condemnarunt ipsum complures Synodi per Italiam, Galliam, & Hispaniam. Et cum aliquandiu *corruptis pecunia Imp. Gratiani aulicis, tribunalia elusisset,* tandem ab Imp. novo *Cl. Maximo* gladio cum præcipuis Sectatorum percussus, *reliqui in Syllinas insulas deportati.* Hæresis eorum morte tantum *abest ut repressa sit, ut confirmata potius* ac latius propagata fuerit; & qui Priscillianum hactenus ut *Sanctum coluerant, postea ut Martyrem colere cœperunt.*

XX. In Concilio Constantinop. quod *Oecumenicum secundum*, inter alia statutum: ut *Episcopi qui primariis præerant Civitatibus*, quales *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Antiochenus*, *Alexandrinus*, PATRIARCHÆ *dicerentur*; primus locus *Romano*, secundus *Constantinopolitano* tributus, *quod ambo Imperatoriis urbibus præsiderent.* In Occidente tum regnabat VALENTINIANUS II. per matrem Justinam Arianam, Orthodoxis gravis, qua mortua & à Theodosio restitutus, persecutionem suspen-

ſuſpendit. Mox ipſe dolo Arbogaſti ſuſpenſus, Imperium arripiente Eugenio & Ethnicismum reſtituere moliente. Contra hunc Tyrannum arma corripuit *Theodoſius* ac miraculo vicit. Nam cum in ſummis Alpibus conſtitutus totam noctem inter preces exegiſſet, vexillo crucis in ſignum prælii elato, manus cum hoſte conſeruit. Ecce magnus, & ineffabilis ventorum turbo in ora hoſtium tela retorſit. Ita miraculo ſuperatus Eugenius, ipſo Claudiano *Poëta quanquam gentilium* addictus ſacris eſſet, præ admiratione exclamante:

O nimium dilecte Deo cui militat æther
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Tum ſe Theodoſius *ad gentilium delubra & ſacra penitus evertenda convertit*, imprimis Romæ & Alexandriæ, refragantibus licet Senatoribus Rom. quod *urbem per mille ducentos annos invictam ſub præſidio Deorum ſuorum habuiſſent.*

XXI. Sed ecce gravem pientiſſimi cætera Principis lapſum. *Theſſalonicæ* populari ſeditione Præſes *Botericha* & nonnulli nobiles occiſi erant. Quod factum tantam iracundiam *Theodoſio* concitavit, ut immiſſo milite *ſeptem hominum millia omnis ætatis & ſexus, noxios pariter & innocentes, obtruncaret.* Ob quod facinus præceps ab Ambroſio, maximæ tum authoritatis Epiſcopo Mediolanenſe, prohibitus

ſacris, & foribus templi excluſus ac introitu, ſeptem menſium cenſuram benigne tulit. Fateor non probari omnibus hanc Ambroſii cenſuram: ſed nemo tamen eſt qui improbare poſſit aut debeat Theodoſii humilitatem & pœnitentiam, qui non intumuit purpuræ honore, ſed patienter & acerbas Ambroſii reprehenſiones tulit, & toti Eccleſiæ exemplo ſuo præivit. *Nectarius* Epiſcopus Conſtantinopolitanus *Confeſſionis* ritum, & Presbyterum *Præfectum pœnitentiæ*, ſuſtulit, cum hac occaſione Matronam nobilem in templo à Diacono conſtupratam intellexiſſet. Mox ad exemplum Nectarii per totum Orientem ritus ille ſublatus eſt, in Occidente vero manſit, ac tandem in auricularem Confeſſionem degeneravit.

XXII. Floruerunt tum magna illa Eccleſiæ lumina, *Hieronymus* Presbyter & *Auguſtinus* Epiſcopus Hipponenſis in Africa. Et *Hieronymus* quidem, primus poſt *Origenem*, *Hebræam Linguam* addidicit ac totam Scripturam Veteris & Novi Teſtamenti ex fontibus in Latinum Sermonem tranſtulit. Sciendum vero eſt, *vulgarem verſionem Latinam*, quæ hodie extat & in Concilio Tridentino authenticæ nomen obtinuit, non eſſe veterem illam *Hieronymi*, ſed ab ea innumeris in locis diſcrepare ac vehementer corruptam eſſe. Fuit jam ante *Hieronymi* ætatem *S. Scriptura in va-*

riarum gentium linguas conversa, ut testantur *Hieronym.* ipse præfat. in Eccles. *Augustin.* xv. C. D. 13. imprimis *Thedoretus* Sermone 50. contra Græcos, ubi dicit nullam tum gentem fuisse quæ non Scripturam in sua lingua lectitarit. Quod contra Bellarminum observandum, qui vult primis his sæculis verbum Dei tantum tribus linguis Hebræa, Græca, & Latina lectum fuisse. *Augustinus* vero, cum hactenus prava Manichæorum hæresi imbutus fuisset, precibus & lacrymis *Monicæ* matris, opera Ambrosii conversus, illustre Ecclesiæ sidus evasit.

XXIII. Sed nihilominus multi tum errores ab his ipsis magnis viris in Ecclesiam invecti, eas paulatim radices egerunt, ut in hanc usque diem ex animis hominum Christianorum exstirpari penitus nequeant. Illi fuerunt *Cœlibatus* Sacerdotum: *Usus Imaginum historicus* in templis: *Invocatio Sanctorum*. Et *cœlibatus* quidem sacerdotum defensores ac propugnatores habuit *Ambrosium* atque *Hieronymum*, qui de conjugio in universum, contemtim & viliter loquebantur, maxime Hieronymus; adeo ut Matronas etiam ad secundas nuptias transire noluerit. Horum igitur authoritate *Syricius* Episcopus Romanus, Sacerdotibus conjugio interdixit, cum tamen Concilium *Nicænum* libera ea esse voluerit & Sancti Episcopi, *Hilarius*, *Na-*

zianzenus, *Nyssenus*, *Spiridion* ac alii multi conjugati fuerint. Nihilominus tamen etiam post cc. annos Ecclesiastici in *Gallia*, *Hispania* & reliquo Occidente uxorati fuerunt.

XXIV. Imagines in Ecclesia primus invexisse traditur *Paulinus* Episcopus Nolanus,& *Sulpicius Severus* (quanquam etiam jam ante eos hinc inde *imagines pictæ* in Oratoriis Christian. ut ex Epiphanio patet, velum,in quo Christus depictus, scindente) *ad usum historicum* & *memoriam*, sive etiam *ornamentum* templorum. At vero *adoratas* imagines tum temporis ostendi non potest. Sed, ut diximus,omnis ille picturarum in templis apparatus, non habebat alios usus quam hos tres : *Historicum*, *Ethicum*, & *Politicum*. Neque tamen propterea excusari possunt : nam ille historicus usus mox in Idololatriam , ut notum est , degeneravit.

X X V. Quod vero spectat invocationem Sanctorum , ea originem suam debet Orationibus Panegyricis , *Basilii* , *Nysseni*, & *Nazianzeni* , qui cum Oratores summi essent, variis in concionando figuris Rhetoricis usi , nunc velut præsentes alloquebantur mortuos, nunc eorum intercessiones expetebant. Ita quod ipsi studio eloquentiæ faciebant , rudioribus exemplum errandi præbuit.

X X V I. Theodosio successerunt filii impu-

impuberes ambo, HONORIUS in Occidente, ARCADIUS in Oriente. Erat tum Epiſcopus Conſtantinopolitanus *Iohannes* cognomento *Chryſoſtomus*, Græcorum Patrum abſque controverſia eloquentiſſimus, ſed ſeverior & iracundior, unde magnas ſibi calamitates attraxit. Quis non miretur ſanctiſſimorum etiam virorum graves lapſus,& infirmitatis humanæ inſignia argumenta? Divinus ille *Iohannes* Chryſoſtomus, & zelo pietatis fervens *Epiphanius* Cypri Epiſcopus, in graves delapſi controverſias, implacabile odium inter ſe alebant. Controvertebatur de ſcriptis *Origenis*: ea laudabat & defendebat *Chryſoſtomus*: condemnabat & criminabatur *Epiphanius*, tanta cum vehementia, ut hic cum Chryſoſtomo nec diverſari nec preces facere voluerit. Inter hos animorum motus cum res ad tumultum ſpectaret, *Epiphanius* urbe exceſſit & navim conſcendens: *Spero*, inquit, *Chryſoſtome, te non moriturum Epiſcopum*. Cui alter: *Spero te non rediturum vivum in urbem tuam*. Utrumque Deus ratum eſſe juſſit: nam *Epiphanius* in navi deceſſit: *Chryſoſtomus* in exilium pulſus fuit.

XXVII. Erat *Chryſoſtomus* liberrimi oris in caſtigandis magnatum vitiis, ac præcipue *Eudoxiam* Imperatricem ſibi infenſam reddidit. Revocatus ab exilio, nihil tamen de fervore ſuo remiſit, & in

spectacula, quæ ad statuam Eudoxiæ templo vicinam celebrabantur, acerbe declamavit. Quare Eudoxia denuo Synodum contra Chrysostomum coëgit, quod dum fit, ille concionem illam habuit, cujus initium est: *Rursum Herodias furit, rursum turbatur, rursum ab Herode caput Iohannis petit abscindi, rursum Iesabel Nabotho vineam eripere pertentat, ac sanctum Eliam ad montes persequendo compellere.* Depositus igitur denuo, à sicariis petitus, ultimo in exilium *Cucusum* Armeniæ deportatur, ubi post triennium variis ærumnis confectus, anno vitæ L I I. expiravit, vir sanctæ vitæ, sed iracundior & imprudentior. *Eudoxia* impotens mulier, mox obiit & urna ejus ad annos XXXV. continuo quodam motu agitata est.

XXVIII. Sed nunc majores in Ecclesia tempestates à *Donato* & *Pelagio* concitatæ, sequuntur. De quibus nunc agendum ex professo est.

Donatistarum Schisma confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Origo ejus ita habuit. Cum atrocissima illa sub Diocletiano & Maximiano circa A. Christi CCCIV. persecutio flagraret, nonnulli in Africa, etiam Episcopi, divinas scripturas persecutoribus comburendas tradiderunt Cum igitur *Cæcilianus* Carthaginensis Episcopus creatus fuisset, conspirarunt contra eum *Donatus*

à Ca-

à Casis Nigris, Episcopus Numidiæ, & *Lucilla* fœmina factiosa ac pecuniosa, cum aliis nonnullis, ac Cæcilianum absentem innocentemque traditionis damnarunt, ordinato in ejus locum Majorano. Hinc grave schisma, & quanquam, tum à Synodis tum ab Imp. Constantino M. causa cognita, Cæcilianus innocens pronunciaretur, nihilominus in proposito perseverarunt Donatistæ, iisque libertatem concessit Julianus Apostata. Dogmata præcipua Donatistarum hæc fuerunt.

1. *Veram Christi Ecclesiam non alibi quam in Africa & apud Donatistas esse, neque uspiam alibi verum esse baptismum.* Hinc Catholicos rebaptizabant.

2. Arrogabant sibi *perfectam justitiam*, cum superbo aliorum fastidio.

3. Injustorum consortio pollui credebant justos, ita ut *nullam ibi esse Ecclesiam* dicerent, ubi tolerarentur iniqui.

Ex quibus patet, pleraque cum Novatianis communia habuisse Donatistas.

Romæ appellabantur, *Montenses, Cuzupitæ, Rupitani.* Et quanquam faterentur, Filium Dei Patri esse ὁμοούσιον & συναΐδιον, cum Orthodoxis; nihilominus eundem, cum Arrianis, Patri inæqualem, & Spiritum S. Filio, faciebant.

XXIX. Ad hanc Donatistarum hæresin pertinent etiam *Circumcelliones* sive *Circumitores*, genus hominum agreste &

famosissimæ audaciæ, qui non in alios solum immania perpetrabant facinora, verum sibi quoque violentas inferebant manus. Hi cupiditate Martyrii, obvios ad cædem suam impellebant, vel ex altorum montium cacuminibus in flumina etiam ac ignes se præcipitabant. Quibus vero animus erat tale Martyrium subire, ii à sectatoribus diu ante omni ciborum genere, velut quædam sacrificio destinata animalia, præpascebantur & pinguefiebant.

Hanc Donatistarum hæresin, *Augustinus* post diuturna certamina tandem per Africam profligavit, ac penitus extinxit.

XXX. *Pelagiana* autem hæresis, quæ non minores in Ecclesia turbas & controversias concitavit quam Ariana, originem traxit à *Pelagio* Monacho ex Britannia oriundo, qui circa A. Christi cccc. errores suos de libero hominis arbitrio contra divinæ gratiæ necessitatem spargere cœpit. Dogmata ejus præcipua hæc fuerunt:

1. *Non ex gratia propter Christum sive nostro merito, sed ex propriis operibus & virtutibus naturalibus nos justificari, & contingere non ex fide Christi, sed ex nostris conatibus Remissionem peccatorum.*

2. *Adam moriturum fuisse etiamsi non peccasset, neque* ex culpa nos, sed *ex conditione naturæ mori.*

3. *Non dari peccatum originale, adeoque nec*

nec infantes baptizandos.

4. *Semel juſtos non amplius peccare poſſe.*

5. *Liberum hominis arbitrium poſt baptiſmum non poſſe amplius peccare.*

6. *Non opus eſſe precibus pro converſione* infidelium vel *perſeverantia*, quod illa ſint opera liberi arbitrii.

In ſumma totus Pelagianiſmus nihil aliud erat, quam *divinæ gratiæ*, non tantum extenuatio, ſed *abolitio* ac *negatio*, in cujus locum ſubſtituebant *Liberum arbitrium* ac *naturales virtutes hominis*. Hinc impium illud dictum: *A Deo habemus quod homines ſumus, à nobis ipſis quod juſti.* Igitur à gratia divina derivabat nil niſi *ſolum poſſe bonum*: velle autem & agere *à mero ſuſpendebat hominis arbitrio.* Habebant etiam tres ſalutis vias: nam *ante legem* homines ſalvos factos per *Naturam*: deinde per *Legem*: poſtremo per *Chriſtum*. Unde etiam *virtutes* gentilium, *opera* vere *bona* & Deo placentia, vocabant per ſolum liberum arbitrium, lege naturæ ſine Chriſto edita vel adjutorio gratiæ.

Sciendum autem eſt, Pelagianos ab Auguſtino tanquam novæ doctrinæ authore, provocaſſe ad antiquos Patres, quorum plerique cauſam Electionis retulerunt ad ipſius hominis liberum arbitrium, illudque plus juſto extulerunt. Unde in eorum ſcriptis, vel nulla Prædeſtinationis, vel erronea mentio, quippe, tum nondum mo-

ti illa controversia, toti occupabantur in dogmate Trinitatis asserendo, ac cum plerique eorum ex scholis Platonicis transirent ad Christum, multos ejus errores, maxime circa liberum arbitrium, retinuerunt. Etsi vero statuant, causam prædestinationis esse prævisionem fidei vel operum, tamen procul fuerunt à Pelagianorum errore. Siquidem Fidem bonaque opera secundum initium, progressum & perseverantiam retulerunt ad gratiam Dei, teste Augustino de Bon. persev. capite 20. Præscientiam autem potissimum ad mala retulerunt, & reprobatos vocabant præscitos, ut contra Manichæos Deum à peccato immunem esse ostenderent.

Et quoniam originale peccatum negabant, hinc de usu *Pædobaptismi* inter Pelagianos & Orthodoxos disceptatum. Nam *Pelagiani* dicebant, infantes baptizari non in remissionem peccatorum, (quippe peccatum eos habere nullum) sed tantum *in Regnum Cœlorum*, quod non nisi regenitis patet. Unde nata alia controversia, de *statu parvulorum defunctorum sine baptismo*, quibus Pelagiani regnum Dei negabant: dabant tamen eis extra regnum Dei locum Salutis & vitæ æternæ.

XXXI. Huic hæresi Deus duo imprimis lumina, *Augustinum* & *Hieronymum*, illum in Africa, hunc in Oriente opposuit. Damnatus quoque Pelagius in variis Syno-

Synodis, maxime *Carthaginiensi* & *Milevitana*, fuit, qui, sociis *Iuliano* & *Cœlestino*, ex Oriente in Occidentem se recepit, ac Britanniam imprimis & Galliam erroribus suis infecit & contaminavit.

XXXII. Sed non ita destrui potuit Pelagianismus, quin ex ejus cadavere nova enasceretur soboles *Semi-Pelagianorum*, qui ita Pelagium ejusque dogmata damnabant, ut tamen oppositam Augustini doctrinam improbarent, ac inter veritatem & falsitatem mediam se tenere posse viam arbitrarentur. Horum Dux & Antesignanus fuit *Ioh. Cassianus* natione Scytha, Massiliensis Presbyter, quem paulo post secutus est *Faustus* Rhegiensis. Ab his igitur condita est *Semi Pelagianorum* & *Massiliensium* hæresis, qui, mitigando cruda Pelagii dogmata, ea novis coloribus incrustata invehebat. Præcipua autem controversia fuit inter Orthodoxos & Semi-Pelagianos, de *Prædestinatione* & *Gratia Divina*, quam ipsi à voluntate humana præcedanea, vel efficacem, vel inefficacem, vel deficientem vel perseverantem, suspendebant: denique, Deum & hominem, gratiam & liberum arbitrium, concurrentes ac coordinatas constituebant causas æternæ salutis. A quo quidem tempore pestilens Semi-Pelagianorum doctrina altissimas in Ecclesia Christiana egit radices: ut nunquam penitus exstirpari potuerit. Nam hodie-

hodieque gravissimæ Orthodoxis contra hos Semi-Pelagianos controversiæ & certamina intercedunt.

XXXIII. Inter has tempestates *Vigilantius* Gallus, Hispaniæ Episcopus doctissimus, multos jam in Ecclesiis abusus deprehendit. Damnabat is *cælibatum*, *reliquias Martyrum* non esse adorandas, *Cereos* quoque frustra in templis clara luce accendi monebat, *Monachorum* denique solitudines, ac secretam à conversatione aliorum vitam, damnabat. Videmus quantos jam tum superstitio progressus in Ecclesia fecerit, ac quam ab Apostolica simplicitate ad ceremonias & superstitionem declinaverit. Nihilominus *Hieronymus* tanti nominis & laboris vir, ausus fuit superstitiones illas contra Vigilantium defendere, ac in probum virum summa linguæ impotentia grassari. Ut vel hinc pateat, quam gravibus etiam maximi viri erroribus obnoxii sint. Vix ullus Patrum Hieronymo doctior fuit: vix ullus maledicentior: cœlibatum ille, & reliquias, & cereos, velut summa Fidei Christianæ capita, defendebat; omissis & neglectim habitis fidei articulis, ut recte de illo judicarit *Lutherus*, plus ipsum tribuisse *ceremoniis* & *operibus* quam *Christo* & *fidei*.

XXXIV. Interea *Alexandriæ* graves ob Judæos motus fuere, quos urbe ejiciendos censebat Episcopus *Cyrillus*, defendebat

bat *Orestes* præfectus urbis. Hinc cædes exortæ, Judæis inter Christianorum discordias triumphantibus. Nam, inter Chalcidem & Antiochiam *puero Christiano in ludibrium fidei crucifixo*, religionem falsè deridebant. Mox impietatis suæ pœnas dedere, seducti à *Pseudo-Mose* Cretensi. Hic se *Mosen* cœlo demissum jactabat, ac ingenti collecta multitudine mare transiturum promittebat. Cumque fidem vanis promissis habuissent, multi submersi sunt: ipse vero Moses, sive *malus* ille *genius* fuerit, nusquam comparuit.

XXXV. Sed, en denuo hæresin eamque atrocem in Ecclesia Christiana. NESTORIUS Episcopus Constantinopolitanus, seductus ab Anastasio Presbytero opinionibus Judaicis imbuto, & ferre nolente hanc usitatam in Eccl. phrasin: *Virgo Maria Deipara*, naturas in Christo divulsit, ac Christum non nisi *merum hominem* esse asseruit. Hinc *Nestorianismus* exortus, cujus præcipua dogmata hæc:

1. *Mariam* tantum esse *Christiparam*, non Θεοτόκον, *Deiparam*. Christum nonnisi *mere hominem natum*, postea *sanctæ* & *inculpatæ* vitæ *merito* obtinuisse, ut dignus haberetur cui se *Divinitas* conjungeret.

2. *Duas* itaque *in Christo esse personas*, alteram *divinam*, *humanam* alteram, *sejunctas* atque *separatas*; ita, ut divina persona in humana tanquam in templo habitaret.

ret. Quare Christum non *Deum*, sed *Deiferum* appellabat.

XXXVI. Huic pestiferæ hæresi acerrime se opposuit *Cyrillus* Episcopus Alexandrinus, & duodecim *Anathematismos* contra Nestorium edidit: sed majus erat malum, quam ut privatis literis ac scriptis sopiri posset. Ergo ad ultimum in Ecclesia controversiarum remedium perveniendum fuit, *Synodum* nimirum, quæ EPHESI convocata A. CCCCXXXI. Hæc est *tertia Synodus OEcumenica*. In hac Synodo, cum *Cyrillus* Alex. acriter Nestorium perstringeret, ac *Mariam* θεοτόκον esse & dicendam assereret, *Nestorius* in conventu surgens: *Ego*, inquit, *bimestrem aliquem aut trimestrem Deum non dixerim*. Proinde *purus sum sanguinis vestri & posthac ad vos non veniam*. His dictis, cum sex Episcopis egressus est ac à Synodo secessionem fecit. Altera die, citatus per tres Episcopos à Cyrillo, ut compareret, *Nestorius* fuit, cumque tertium citatus non compareret, sed insuper Synodum contumeliis afficeret, à CCCXVIII. Episcopis condemnatus & Episcopatu dejectus fuit. Relegatus insuper ab Imp. Theodosio in extremam Ægyptum, ibidem à terra absorptus periit misere: alii, lingua à vermibus erosa inter lamentabiles desperationes obiisse tradunt. Nihilominus hæresis Nestorii latissime propagata fuit; adeo, ut hodieque totus

Oriens,

Oriens, usque in Sinas Catayosque, Nestorianismo infectus sit.

XXXVII. Quod vero fieri plerumque solet, ut multi dum vitia vitant in contraria currant; idem tum in Ecclesia EUTYCHI accidit, qui acerrimus Nestorianismi hostis, dum duas in Christo personas refutare conatur, in contrarium errorem incidit, duas in Christo naturas confundens, nec de virgine Maria natum Christum, sed *Cœlo per Mariam tanquam canalem* descendisse, asseruit. Igitur in ipso incarnationis articulo carnem mutatam fuisse in Deitatem.

XXXVIII. EUTYCHES Archimandrita Constantinopol. in Concilio Ephesino acutissime contra Nestorium disputavit, eumque acerrime redarguit. Igitur, cum homo esset *præfidentis animi* & *obstinati ingenii*, in ipso contentionis æstu, dum Nestorianam oppugnat hæresin, in aliam haud minus gravem delapsus est. Summa ejus fuit:

1. *Ante incarnationem duas fuisse in Christo naturas: post incarnationem unam tantum.*

2. *Corpus Christi non esse matri & nobis consubstantiale.*

XXXIX. Hanc hæresin primo quidem condemnavit *Flavianus* Episcopus Constantinopolis, Synodo convocata Anno CCCCXLVIII. in qua *Eutyches* propter pertina-

tinaciam in errore, declaratus eſt *extraneus à communione Eccleſiæ* & primatu Monaſterii. Sed Eutyches à Flaviano ad Imperatorem & Papam Leonem provocavit: inde convocata nova *Epheſi* Synodus fuit A. CCCCXLIX. quam λυϛρικὴν ab eventu infelici appellarunt. Hujus Synodi præſes *Dioſcorus* Epiſcopus Alexandrinus, Eutychis errores per vim & tyrannidem confirmavit, *Flavianum* alioſque Orthodoxos Epiſcopos ſedibus ſuis exuit, cumque *Flavianus* à judicio Dioſcori appellaret, *calcibus* & *pugnis* adeo contuſus fuit, ut paulo poſt moreretur.

XL. Inter hæc *Burgundiones*, ab Hunnis preſſi, Chriſtianam ſuſcepere fidem, & in ea Scotos *Palladius*, Hibernos *Patritius*, Orcadenſes *Servatius* confirmavit. *B. Auguſtinus*, maximæ in Eccleſia authoritatis, anno ætatis LXXVI. tertio obſidionis Hipponenſis menſe, in Domino obdormivit, cum paulo ante divinos illos de *Civitate Dei* libros abſolviſſet.

XLI. Poſt obitum Theodoſii II. MARCIANUS A. CCCCLI. quartum Concilium OEcumenicum *Chalcedone* indixit, ubi à Iↄ cxxx. Epiſcopis *Eutyches* ac *Dioſcorus* condemnati ſunt. In hoc Concilio Symbolum conditum, quod *Chalcedonenſe* vocatur, in quo quatuor inprimis vocabulis errores & Neſtorii & Eutychis confutantur, quod unio duarum in Chriſto naturarum

rarum facta sit ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως *inconfuse, inconvertibiliter, indivulse & inseperabaliter.* Decretum insuper fuit : *Mariam non tantum Christiparam, sed & Deiparam dicendam.* Nihilominus Eutychiana hæresis in Ægypto, Palæstina, Orienti exstirpari non potuit, sed diu postea duravit, & in gravissimas lanienas ac odia erupit.

XLII. Primum Eutychiani furoris Theatrum fuit *Alexandria* urbs, propter religionem frequenter seditiosa. Nam, cum in Dioscori, à Synodo Chalcedonensi depositi, locum, surrogatus ab Orthodoxis fuisset PROTERIUS, Eutychiani contra eum elegerunt *Timotheum* Ælurum. Hic mortuo Marciano A.CCCCLVII. seditiosam plebem contra Proterium concitavit, qui, cum in baptisterium se recepisset, existimans barbaros loci religione se repulsurum, illi contra irrumpentes, ipsum Proterium cum *sex aliis* crudeliter interficiunt, ac *cadaver per universam urbem tractum membratim discindunt*, ac, quod ferinum plane erat, *ipsa cæsi viscera degustant.* Quod reliquum erat *combustum* & *cineres per aërem sparsi.*

XLIII. Hic Tragicus Proterii exitus graves per universum orbem animorum motus excitavit. Quippe, *Eutychiani* factum ea audacia defendebant, ut *etiam Synodum Chalcedonensem aboleri* ac *tolli*

vel-

vellent. Imp. LEO. auditis utriusque partis querelis, nihil præcipitanter agendum censuit Sed ex universo orbe Romano Episcopos convocavit, qui de tota caussa cognoscerent. Memorabilis est parænesis, qua clericos monet ut sententiam dicerent ἄνευ τινὸς ἀνθρωπίνου φόβου καὶ δίχα χάριτος καὶ ἀπεχθείας, μόνον τὸν τοῦ παντοκράτορος θεοῦ φόβον πρὸ ὀφθαλμῶν τιθέμενοι; *Sine ullo humano timore, absque gratia & odio, solum omnipotentis Dei timorem ante oculos ponentes.* Conclusum ab universis fuit: *Chalcedonensem Synodum usque ad sanguinem esse vindicandam, & Timotheum* Ælurum, non modo *Episcopi* sed & *Christiani* nomine indignum. Dejectus igitur Episcopatu, tandem veneno hausto vitam finiit.

XLIV. Magnæ post lites Alexandriæ & alibi propter Eutychianum furorem fuere; quas quidem sustulit Ἑνωτικὸν sive *Epistola Pacificatoria* Imp. ZENONIS, in qua *Concilia* quatuor Oecumenica, *Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesium* & *Chalcedonense*, una cum duodecim *Anathematismis* Cyrilli, confirmantur, damnatis *Arii, Macedonii, Nestorii* & *Eutychis* erroribus. Cui ἑνωτικῷ qui subscriberet, is pro Orthodoxo habebatur: cumque ei quatuor Sedes Patriarchales, *Romana, Constantinopolitana, Antiochena, Alexandrina*, subscripsissent, pax & concordia Eccle-

Ecclesiis, post tantas tempestates, restituta videbatur.

XLV. Sed qua occasione saluberrimum illud *Henoticum* à Zenone promulgatum fuerit, operæ pretium intelligere erit. *Basiliscus* quidam, rebellione mota Imperium contra Zenonem invaserat, cui uxor *Zenonis* Eutychiana, cujus impulsu Tyrannus Orthodoxos loco movit, Eutychianos revocavit; ac impulsu *Timothei Æluri*, *condemnationem Concilii Chalcedonensis* omnibus imperavit. His impiis mandatis, summa levitate nec minori adulatione, quingenti Episcopi subscripserunt: qui, restituto Zenone, *verbis* non *corde* assensos se fuisse (quis tamen in sacris levitatem ferat?) professi sunt. Igitur Imp. ut tantam ab Orthodoxa fide defectionem sanaret, *Henoticum* suum emisit.

XLVI. Antiochiæ pariter turbas dedit *Petrus* Gnaphæus sive *Fullo*, Eutychianus Episcopus, qui ad hymnum *Trisagion*, id est, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, adjecit ὁ ςαυρωθεὶς δἰ' ὑμᾶς, *qui crucifixus est pro nobis*, anathema dicens omnibus dicere recusantibus, *Deum pro nobis crucifixum*. Ejus sectatores dicti *Fulloniani* & *Theopaschitæ*. Quamvis enim Orthodoxe alias dicatur, *Deum crucifixum*. Actor xx. 28. 1. Corinth. 11. 8. tamen non ea mens fuit P. Fullonis, sed Christum crucifixum & mor-

mortuum voluit *secundum ipsam Deitatem*, quam unam naturam in Christo post incarnationem agnoscebant Eutychiani. Ex quo consequebantur alii tetri errores, vel *filium* esse *à patre ἑτερούσιον quoad Deitatem*: vel *patris* quoque *ac Sp. S.* essentiam sive *Deitatem* fuisse passibilem. Suffectus autem Fulloni *Stephanus* Orthodoxus fuit, quem Fulloniani *calamis praeacutis* interemere: tantus tum furor Eutychianorum pectora insederat. Idem *P. Fullo*, primus extitit author invocationis Sanctorum: constituit enim, ut *in omni precatione Dei genitrix nominaretur, ac divinum ejus nomen invocaretur*. In Africa *Hunericus*, Vandalorum Rex Arianus, gravem Orthodoxis persecutionem movit, in qua CCCCXLIV. Episcopi sedibus suis ejecti, multi glorioso Martyrio occubuêre, cum Orthodoxi *Homoousion* ex Scriptura ostendere jussi, strepitu & clamore opprimerentur. Cessavit persecutio cum vita Tyranni, qui phthiriasi periit. Floruit tum etiam *Dionysius* Abbas, qui primus annos à Christo nato numerare docuit. Hinc *æra Christiana* fluxit, in qua tamen biennii spatio peccatum vel etiam triennii, vel, ut Usserius Armachanus post omnes accuratissime observavit, quadriennii, adeo ut præsens annus CIↃ IↃ C LXV. sit annus LXIX. adeo ut nunc non 1665. sed 1668. vel 1669. scribendum, ex vera supputatione, esset.

XLVII. Ze-

XLVII. Zenoni Anastasius Dicorus successit A. cccxciii. Eutychianis impense favens, atque ob id gravis in Orthodoxos persecutor. Erat tum confusissimus Eccl. status, *cum nec aperte liceret Synodum Chalcedonensem approbare, neque etiam penitus improbare*, utrisque enim, politicæ pacis studio, infensus erat Anastasius, quanquam in Eutychianos pronior, mox apertus Orthodoxorum hostis. Imprimis tamen Euphemio & Macedonio Episcopo Constantinopolitano gravis extitit. Nam *Euphemius* noluerat Anastasium coronare, nisi prius *juramento* in scriptum relato *promisisset, se fidem Chalcedonensem inviolatam servaturum*. Paulo post, cum Euphemius libellum reddere nollet, exilio multatus fuit. Ejus Successor Macedonius pari constantia libellum reddere noluit: unde Imperator irritatus, per vim throno deturbare Macedonium aggreditur. Quod ubi multitudo sensit, accurrit & aperte exclamavit: *Martyrii tempus adest, nemo longius à pastore absit!* Tum in Imperatorem convicia proferentes, *Manichæum* & *Imperio indignum* vocavere. Quare *Anastasius* Macedonii intercessione uti coactus fuit, qui eum magna cum libertate ut *Eccles. hostem* objurgavit. Cum aperta vis non successisset, ad fraudes conversus Anastasius, subornavit leves quosdam adolescentes, qui Macedonium obscœ-

obſcœni criminis reum peragerent. Quorum calumniam Macedonius in continenti, tunica ſubducta, virilibus ſe carere oſtendens, cum confutaſſet, nihilominus Imp. eum in exilium conjecit, ac *Gangræ* immiſſis percuſſoribus trucidatus fuit.

XLVIII. Quantam autem contentionum materiam Synodus *Chalcedonenſis* tum temporis præbuerit, ex *Acephalorum* Secta patuit. Ita enim lato ſignificatu omnes appellabantur Synodi Chalcedonenſis adverſarii, *Acephali* dicti, quod nullum certum hæreſeos ſuæ vel ſchiſmatis authorem haberent. Origo prima Acephalorum cœpit Alexandriæ, cum *Petrus Moggus* Henoticum & Synodum Chalced. ſuſcepiſſet; ab ejus enim ſe communione ſeparantes Synodi oſores, dicti ſunt *Acephali*, tum quod nullo certo authore à confuſa multitudine ea ſeceſſio cœpiſſet, tum quod à Patriarcha, capite ſuo, ſeceſſionem feciſſent.

XLIX. Hi *Acephali* Concilio Chalcedonenſi Anathema quotidie dicebant, idque facere abnuentes quovis modo perſequebantur, faventem habentes Anaſtaſium Imperatorem. Dux & Anteſignanus eorum erat *Petrus* Gnaphæus Antiochiæ Epiſcopus, cujus tanta fuit impietas, ut *Xenajam* quendam nondum baptizatum crearet Hierapolis Epiſcopum, dicens ipſi pro baptiſmo ſufficere conſecrationem. Diviſi autem

autem *Acephali* Eutychiani in complures sectas fuerant. Nam; à Severo Episcopo Antiochiæ, dicti sunt *Severitæ*, alio nomine *Monophysitæ*, quod unam tantum naturam in Christo post incarnationem agnoscerent; *Theopaschitæ*, quod ipsam Deitatem crucifixam & mortuam statuerent; *Tritheitæ*, quod in Sanctissima Trinitate tres substantias & naturas per omnia similes dicerent, quanquam tres Deitates dicere omnino refugerent, sed unam assererent consubstantialem Trinitatem, impie tamen ac absurde pluralitatem naturarum in una Deitate somniantes.

L. Hanc *Theopaschitarum* & *Monophysitarum* hæresin, imprimis apud Syros ac in Oriente, propagavit *Iacobus* quidam cognomento *Zanzalus*, à quo hæresis amplissima Jacobitarum fluxit, quæ hodieque per *Ægyptum*, *Abissinam*, *Syriam*, & totum Orientem latissime diffunditur. Qui vero Fidem Orthodoxam secundum decreta Synodi Chalcedonensis profitebantur, hos Jacobitæ per contemtum *Melchitas* appellabant, id est, *Regios*, quasi in Imperatoris gratiam Chalcedonensem fidem profitentes. Et hæc Melchitarum secta hodieque per Orientem numerosissima est, ejusdem fere fidei cum Ecclesia Constantinopolitana & subjecti sunt Patriarchæ *Antiocheno* qui *Damasci* residet.

LI. Ab eodem *Iacobo* Zanzalo fluxit

portentosa ARMENIORUM secta, conflata ex *Arianismo*, *Apollinarismo*, *Marcionismo*, aliisque hæresibus. Hi *Armenii* ex Judaismo retinent *immolationem Agni Paschalis*, sanguine ejus postes ædium suarum inungentes, & tostam carnem simul participantes. *Cruces* quoque, non solum homines baptizabant, & Trinitatem imaginibus effingebant. Peculiaris quoque inter Armenios secta *Staurolatrarum* fuit, qui *Chazinzarii* dicebantur. *Chazus* enim Crux illis est. Hi crucem tantum religiose adorabant; cætera Nestoriani. Atque hæc in hodiernum usque diem Armeniorum per Orientem religio est.

LII. Dum ita per *Orientem* Ecclesiæ ab hæreticis turbantur, in *Occidente* magna ad fidem accessio facta fuit, conversa, cum CLODOVEO, *Francorum* gente, per *Remigium* Episcopum Rhemensem. Interea, inter Eutychianos ipsos ac Orthodoxos quoque, exortæ quæstiones novam divisioni & distractioni animorum materiam suppeditarunt. Inter Eutychianos controversum fuit Alexandriæ: *Corpus Christi à conceptione corruptibile fuisset, an incorruptibile?* Severus respondit, *corruptibile*; Julianus, *incorruptibile*: cumque uterque sectatores suos haberet, tota Ecclesia Alexandrina divisa fuit in *φθαρτολάτρας*, *corrupticolas*, & *ἀφθαρτοδοκήτας*, *incorruptibilitatis opinioni* adhærentes, & paulo post utraque secta pe-

culia-

culiarem sibi Episcopum delegit, *Phthartolatræ* Theodosium, *Aphthardocitæ* Gajanum, unde nova *Theodosianorum* & *Gajanitarum* nomina originem traxerunt.

LIII. Hæc initia *Aphthardocitarum* fuerunt, qui mox magna cœperunt incrementa ipso Imp. JUSTINIANO ad partes suas traducto, qui etiam nihil non agebat pro stabilienda incorruptibilitatis opinione. Deceptus autem fuit bonus cætera Imp. male intellecto corruptibilitatis vocabulo, quod reprehensibilem innuere putabat affectionem. Quanquam alii omnino falsam velint esse *Euagrii* narrationem de lapsu Justiniani in errores Aphthardocitarum. *Orthodoxi* vero contra hos asserebant, *Dominum nostrum suscepisse affectiones naturales reprehensione carentes*, πάθη ἀδιάβλητα, quales sunt, *esurire*, *sitire*, *delassari*, *angi*, *dolere*, *&c.* easque iterum *exuisse* & *deposuisse* per resurrectionem. Itaque JESUM CHRISTUM *ante resurrectionem corpus corruptibile*, *post eam incorruptibile*, *habuisse*. Quod vero etiam post resurrectionem edit, bibit, id tantum per *œconomiam* factum, ut ostenderet se eum ipsum esse qui ex mortuis resurrexit: Distinguendum igitur corruptibilitatis vocabulum, quod si sumatur pro naturalibus affectionibus vitio carentibus, Christo ante resurrectionem competit: si vero sumatur pro resolutione in elementa, putrefactione, inqui-

natione & vitiosis affectionibus, tum recte dicitur corpus Christi ante resurrectionem fuisse incorruptibile.

LIV. Ex hac controversia mox alia fluxit & novum *schisma* enatum est. Quippe, circa A. Christi IↃxxx. *Monophysitæ* corrupticolæ inter se digladiari cœperunt, de sensu illorum verborum scripturæ, quibus Christus *nesciisse diem judicii*, *in sapientia profecisse*, *& de sepulchro Lazari interrogasse* dicitur, Matth. XIII. 32. Luc. II. 39. Joh. XI. 34. Iisdem locis jam olim abusi fuerant Arriani, ad infringendam æternam Divinitatem Filii Dei. Cum igitur *Timotheus* Episcopus Alexandrinus corrupticola esset, dixit ei *Themistius* Diaconus ejus etiam corrupticola: *si corpus Christi corruptibile est, debemus dicere eum etiam quædam ignorasse, sicut de Lazaro*. Quod cum *Timotheus* negaret dicendum, separavit se à communione ejus, ac schisma fecit *Themistianorum*. Hic Themistius alius fuit à Philosopho; quippe hic Ethnicus. Male ergo eos confundit Nicephorus, qui etiam alio nomine dicti sunt *Agnoëtæ*. Dogma eorum fuit: *Christum ultimi judicii diem & alia quædam penitus ignorasse, adeo, ut ne quidem secundum Deitatem ea cognoverit*.

LV. Quemadmodum vero Eutychiani inter se quæstionibus divisi: sic nec inter Orthodoxos Synodi Chalcedonensis defensores omnia quieta fuerunt & tranquilla,

quilla. Inter hos occasione erroris Theopaschitarum controversum: rectenè diceretur, *Vnum ex Trinitate crucifixum esse?* Affirmabant Monachi *Scythæ*, negabat *Hormisda* Papa Rom. Acriter voce scriptisque de hoc litigatum, & *Hormisda* palam damnabat locutionem illam qua Christus dicitur, *unus ex Trinitate.*

LVI. Orthodoxis Episcopis displicuit *Hormisdæ* præceps ac temerarium judicium, ac ipsi etiam Justiniano, qui paulo post Imperator factus fuit. Quare, cum Nestoriani & alii hæretici in hoc Hormisdæ lapsu fiduciam causæ suæ collocarent, *Iohannes* II. rejecta opinione ejus erronea, declaravit: *Christum unum esse ex S Trinitate, hoc est, unam de tribus*, id est, Trinitatis Personis, ac recte dici, *unum ex Trinitate crucifixum esse.* Hic habent Pontificiæ infallibilitatis assertores in quo se exerceant latissimum campum: nam *Hormisda* negavit quod *Ioh.* II. asserit. Hac occasione etiam antiqui Patres statuerunt, recte dici: *Christum esse unam Personam* Compositam *ex duabus naturis.*

LVII. Sequitur nunc quintum *Concilium* Oecumenicum, sub Justiniano Imp. Anno Christi IↃLIII. occasione *Origenistarum* passim repullulantium, Constantinopoli habitum à CL. Episcopis. In hac Synodo *priorum quatuor Conciliorum* Fides confirmata, *Origenes* Adamantius, *Theodo-*

rus Mopſveſtanus Neſtorii Præceptor ac alii, etiam poſt mortem, *anathematizati* & *damnati*. Acriter autem reſtitit *Vigilius Papa Rom. aſſerens, jam mortuos non eſſe anathematizandos & damnandos*. Et fuit lis illa acris & certamen: *an aliquis jam mortuus ſit damnandus?* ſive, *utrum liceat unquam damnare poſt mortem?* Unde *Occidentalium* multi, cum Vigilio non recipientes quintam Synodum, *Schiſma* fecerunt, inque illo uſque ad tempora *Sergii* Papæ primi per centum annos perſeverarunt. Et cum poſtea Pontif. Romani Synodum quintam approbaſſent, perſtiterunt in ſchiſmate, ac ab ipſis ſeceſſionem fecerunt *Ligures, Veneti, Iſtrii, Tuſci, Hiberni*, ac per *Longobardiam, Franciam, Hiſpaniam*, varii Epiſcopi, quorum *omnis ſcrupulus in damnatione Theodori Mopſveſtani jam demortui* verſabatur.

LVIII. Circa eadem tempora *Italia* & *Occidens* gravi mortalitate laboravit, adeo ut homines paſſim *ſternutando animam exhalarent*. Hinc ortus mos ſternutantibus acclamandi, *Deus te ſalvet vel adjuvet*, qui ad noſtra uſque tempora continuatus, quanquam Anglis ſive ignotus ſive improbatus, & apud noſtrates multis ſuperſtitioſus videatur.

LIX. In *Hiſpania* tum atrox facinus ab Ariano patre in filium editum fuit. Regnabat ibi *Lewigildus* Wiſigottorum Rex,

cui

cui filius erat *Herminigildus* regni particeps & consors, ad Orthodoxam Fidem ab Arianismo nuper conversus. Male id habuit patrem Arianum, ac non modo regno spoliavit filium, verum etiam ferreis constrictum vinculis, in tetrum carcerem conjecit. Cumque ex manu Ariani Episcopi communionem accipere recusaret, nocte intempesta, jussu Lewigildi *occisus est in carcere* ab apparitore, qui securim cerebro ejus infixit. Simili plane exemplo quod *Philippus* II. Rex Hispaniæ in filium *Carolum* admisit: de quo facinore ita Didacus Saavedra Symbolo Politico centesimo: *Obstupuit natura, attonita de suamet potentia: hæsit Politica & mundus inhorruit.* Hoc ultimum Ariani furoris in Hispania complementum fuit. Nam paulo post Lewigildus mortuus successorem reliquit *Reccaredum*, qui cum tota Wisigottorum gente *Orthodoxam Fidem amplexus*, Arianismum penitus ex regno suo profligavit; unde Regis *Catholici* nomen obtinuit.

LX. Tempore *Gregorii* I. Pont. Rom. Saxones & Angli in Britannia quoque fidem Christianam receperunt à *Mellito*, *Augustino*, *Iohanne*, aliisque Monachis, qui *Ethelbertum* Cantii Regem, inde alios ordine Regulos Anglo-Saxonum, quorum tum temporis septem numerabantur, converterunt. Cumque *Scoti* adhuc celebrarent *Pascha* more Judaico & antiquo, ea

de re, nec non *tonsura Monachali* disputatum fuit, coram *Oswi* Nordanhumbrorum Rege, inter *Colmannum* Abbatem & *Wilfridum* Presbyterum, quorum ille ad Apostolum *Iohannem*, hic ad *Petrum* provocabat. Unde tandem Rex conclusit: *nolle se contradicere Petro qui esset ostiarius, ne ad fores cœli adventans, non esset qui recluderet ostium.* Nihilominus *Colmannus* cum suis antiquum retinuit ritum celebrandi Pascha usque ad A. Chr. Iↄccxvi. teste Beda.

LXI. Nunc spicilegium quoddam rerum memorabilium addemus. Sub Anastasio *Severum* Monachum Eutychianum *Alamundarus* neophytus, ficta MICHAELIS Archangeli morte, egregie elusit. Constantinopoli, cum *Deuterius* Arianus Barbam quendam baptizaret his verbis: *Baptizetur Barbas in nomen Patris per Filium in Sancto Spiritu*, aqua repente disparuit. *Olympius* ad Carthaginem ob blasphemias in S. Trinitatem fulmine exustus. *Theodoricus* Ostgottorum Rex, Diaconum suum, qui in gratiam sui Arianismum amplexus fuerat, occidit, dicens: *non servaturum sibi fidem qui Deo eam non servasset.*

LXII. Sed quod maxime memorabile, jam ANTICHRISTUS sese manifestare ac ostendere terris cœpit. *Iohannes* Jejunator Episcopus Constantinopolitanus, Synodo habita sese *Universalem Patriarcham* ac *Episcopum Oecumenicum* creavit, tanta cum indi-

indignatione *Gregorii* Magni Episcopi Rom. ut *Præcursorem Antichristi* appellaret, *quicunque titulum Episcopi universalis affectaret*; ac ejus loco *Servus Servorum* cognominari vellet. Sed mox ab hac modestia degenerarunt ipsius successores, ac *primatum* super omnes Ecclesias non affectarunt modo, verum etiam obtinuerunt: à quo tempore PAPÆ ROMANI OMNES ANTICHRISTI fuerunt ad nostra usque tempora.

Finis Periodi à Constantino M. ad Antichristum.

PERIODUS II.

Ab Antichristo usque ad Reformationem.

ARTICULUS I.

A Muhammede ad Carolum Magnum.

I. DUM ita CHRISTIANUS per orientem Orbis *Nestoriano* & *Eutychiano* furore laceratur, cunctaque in Ecclesia corruptissima essent, DEUS justo judicio suo duo ingentia flagella immisit, quæ petulantiam illam, & impietatem, & ambitionem severe castigarent. Nihil hactenus profecerant bella, pestilentiæ, & alia calamitatum genera: callum jam duxerant Christianorum animi, gangræna

correpta erant omnia; sectione igitur & ustione, ultimis remediis opus erat, ut quod immedicabile, abscisso, sinceræ partes à contagione liberarentur.

II. Unde autem initium dicendi faciam, unde mala Ecclesiarum exordiar? Nam ad *Occidentem* conversus, video ibi emergentem ROMANUM ANTICHRISTUM, ac ad apostasiam trahentem florentissimam Christiani Orbis partem. In *Oriente* vero, non jam hæresis aliqua aut secta, sed totius Christianæ Fidei occurrit excidium, ac in locum Christi Salvatoris, *impostor* quidam flagitiosissimus, succedit, ac deplorandis successibus novam suam & blasphemam Religionem per universum fere Orbem disseminat.

III. Is fuit MUHAMMED gente *Arabs*, conditione *servus*, qui cum primam ætatem inter camelorum greges in Palæstina & Ægypto transegisset, tandem, instinctu Satanæ, *Prophetam* se jactavit à *Deo missum, qui collapsam instauraret Religionem, novamque salutis viam mortalibus ostenderet.* Primum enim fuisse MOSEN, cui successerit JESUS sive ISA. Ultimum ac tertium MUHAMMEDEM, cujus lex longe perfectior, ac præsenti rerum statui accommodatior, revelata foret. Ac facile in *Arabum* gente novitatis avida sectatores reperit, non tam religionis quam prædæ studio sese associantes. Quippe, non *Prophetam* modo,

modo, verum etiam *Ducem* ac *Principem* castigandis infidelibus, sese ferebat. Hæc prima *Muhammedismi* fundamenta fuerunt: ab his profecta initiis nova religio brevi tempore, incredibile dictu, quantis aucta fuerit incrementis.

IV. Cum vero prima spargeret per *Arabiam Desertam* impietatis suæ semina, *Meccanæ* urbis Magistratus hominem seditiosum comprehendere, & meritis pœnis afficere conabatur: quo cognito *Muhammedes* clam aufugit A. IↃ CXXII. XIX. Julii, ac se contulit in vicinum oppidum *Iathreb*, quod exinde appellatum fuit *Medinatalnabbi*, id est, *Civitas Prophetæ*. Ab hac *fuga* computatur initium æræ Saracenorum, quam HEGIRAM sive *Hitzram* vocant. Utuntur autem annis *Lunaribus*, dierum CCCLIV. cum horis octo: unde annis XXXII. *Iulianis* sive *Solaribus*, fere respondent anni XXXI. Hegiræ, cum exiguo additamento. Anno præsenti CIↃ IↃ CLXV. respondet annus Hegiræ CIↃ LXXXVI. tot nimirum anni Lunares effluxerunt à fuga Muhammedis usque ad nostra tempora.

V. Ad novam hanc religionem condendam variis usus est adjutoribus *Muhammedes*, adeoque partim ex gentilium superstitionibus, partim ex *Iudaismo*, partim ex *Nestorianismo* & *Eutychianismo*, monstrosa sua conflavit dogmata. Præcipue usus fuit opera *Sergii* Monachi Ne-

ſtoriani & *Abdiæ* Judæi:his materiam conferentibus, prodiit novus ille Religionis Canon quem ALCORANUM appellavit.

VI. Sed novo huic Prophetæ majori opus erat authoritate, ad ſtabiliendam potentiam inter gentes tam mobiles ac vagas. Angelum igitur GABRIELEM impoſtor in proſcenium adduxit, ſibique apparere à Deo miſſum confinxit: & hoc ut perſuaderet ſuis, callido uſus fuit commento. Nam, cum frequenter comitiali morbo ſive epilepſia laboraret, illamque fœdam paſſionem ægre ferret uxor, quam prædivitem duxerat, *Chadiga*, impoſtor, tum ut uxori faſtidium ſui eximeret, tum ut authoritatem ſibi divinam in populo conciliaret, commentus fuit: *Sibi* Gabrielem *angelum apparere, ad cujus fulgidum conſpectum totus contremiſceret, & corpore ac animo collaberetur.*

VII. Nunc quæ nova hæc *Muhammedis* fuerit religio, quid tradiderit ſuis, breviter videndum eſt:

1. *Vnam tantum Divinitatis eſſe Perſonam.* Ac tam craſſus ille fuit impoſtor, ut vel eo argumento neget Deó Filium eſſe, quod *uxorem non habeat:* frequenter etiam Chriſtianis objicit, quod *tres Deos* ſtatuant.

2. *Chriſtum fuiſſe Prophetam Sanctum,* miraculis clarum, qui veram ſalutis viam homines docuerit: Sed *non eſſe Deum* vel *Dei Filium.*

3. Chri-

3. *Christum non fuisse à Iudæis crucifixum*, sed alium quendam Christo similem.

4. *Quemlibet Iudæum, Christianum, in sua lege, salvari posse*, dummodo sanctè vivat.

5. *In Paradiso*, sive Vita Æterna, *corporeas fore voluptates*, epulas, carnalem libidinem.

6. *Polygamiam esse licitam.*

7. *Per totam mensem* Ramadan *jejunandum esse*, ab ortu nimirum Solis ad occasum: *nocte tota comedendum* & bibendum quantum libeat.

8. *Circumcidendum esse.* Circumcidunt autem anno *octavo* vel tardius: ac in Ægypto & Syria *fœminæ quoque circumciduntur.*

Hæc præcipua Muhammedicæ Religionis sunt capita. Nam fabulas omnes & nugas Alcorani recensere quid opus est? quæ plusquam pueriles & aniles sunt, mera delirantis cerebri commenta, ac Siculæ gerræ.

VIII. Posset quis mirari, qua ratione Religio tam absurda, ac blasphema, tam brevi tempore tanta per florentissimas paulo ante gentes & Ecclesias, potuerit sumere incrementa, præsertim cum Orientales ingenio sint subtilissimo, neque facile sibi imponi patiantur. Hic vero quam potius reddemus rationem quam *divinam* in Christianos *iracundiam*, quorum divini verbi contemtum & impietatem hac *apo-*

stasia

ſtaſia punivit: Sed acceſſerunt etiam *externæ cauſæ*,quibus tanta impietas tam late in hunc uſque diem propagata fuit. Primo:*vis* & *terror gladii*. Nam hoc imprimis ſectatoribus ſuis perſuaſum voluit Muhammedes: *infideles*, niſi ſponte ſe ſubjiciant, *gladio necandos & domandos eſſe*. Neque minimam Muhammediſmo acceſſionem conciliavit ipſa illa *Religionis libertas*. Neminem enim *invitum cogi* voluit ad Religionem Muhammed, ſed contentus *civili obedientia, & Chriſtianis* & *Iudæis liberum Religionis ſuæ exercitium* indulſit: unde plurimi deditionem ſpontaneam fecerunt, ac paulatim ſeducti ad Muhammediſmum omnes defecerunt. Deinde *carnalium voluptatum* effrenis & *permiſſio*, & *promiſſio*, ad quas Orientales præ cæteris nationibus proni ſunt ac proclives, vehementer impietatem Saracenicam promovit. Ac tandem, ne craſſi errores ac blaſphemiæ detegerentur, *ſub capitis pœna prohibuit de Religione diſputare*. His imprimis gradibus propagavit *Mahummed* novam ſuam religionem, cujus quidem ſectatores appellavit MUSULMANOS, id eſt, *Fideles*, vel *Orthodoxos*, quemadmodum Principes ſuos ac Reges vocant *Emir elmumenina*: Principes credentium. Obiit hic Pſeudo-Propheta Anno IↃCXXXI.

IX. Poſt obitum *Muhammedis* grave *Schiſma* inter Sectatores ejus exortum fuit; quod

quod in hunc usque diem implacabili odio & summa animorum exacerbatione durat. Nam, cum ageretur de *Successore* Muhammedis, non una omnium Musulmannorum mens fuit. Quidam enim asserebant, ALIN generum Muhammedis verum ac legitimum esse Successorem, & alii contra ABUBECRUM, & hi tum praevaluerunt. *Abubecro* successit *Omar*, huic *Osman*, quibus defunctis demum successit *Ali*, cui mox se opposuit *Muavia*. Hinc capitales exortae contentiones inter *Persas*, *Syros*, & *Ægyptios*. Nam *Persae* sequuntur Alin; *Syri*, *Ægyptii*, ac reliqui Saraceni, Omarum: & hae duae Sectae sese invicem *haereticos* vocant, ac omnibus diris & execrationibus devovent. Praecipua autem controversia inter hos est *de veris Successoribus Muhammedis*: nam *Turcae* Abubecrum, Omar, Osman, inter Muhammedem & Alin interserunt: contra *Persae* hos tres velut spurios rejiciunt, ipsique Muhammedi immediate successisse volunt Alin. De quibus quidem nunc prolixius agere nil attinet, cum alibi & ab aliis ex professo de iis agatur.

X. Quemadmodum vero in *Oriente* caput extulit Muhammed: ita in *Occidente* PAPA Romanus *primatum* in Eccl. affectavit, atque etiam hac occasione consecutus fuit. Cum quatuor initio Patriarchae, *Romanus*, *Hierosolymitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*,

chenus, dignitate inter se pares, ut ex Canone VI. Concilii Nicæni patet, fuissent: Hoc canone falsato & ad Concilium Carthaginense misso, primatum Episcopus Romanus *Sozymus* affectavit. Fraude tamen à patribus Afris, qui *authenticum* exemplar consulebant, detecta, nihil tum impetravit. Translato *Byzantium* Imperio, illius urbis Episcopus Patriarchis primum *quintus*, mox *secundus* ordine, cæteris frustra obnitentibus, adscriptus fuit, ac occupata à Longobardis Italia, titulum *Oecumenici* ambivit, ac à *Mauritio* Imperatore impetravit, acriter se opponente Episcopo Romano *Pelagio* II. & *Gregorio M.* qui *Antichristi Præcursorem* dicebat eum, qui se universalem Episcopum vellet haberi. Cumque *Phocas* Imp. Mauritium cum uxore & liberis nefarie obtruncasset, atque ita Imperium invasisset, statuit omnibus modis sibi demerendum esse Episcopum Romanum, ut ejus authoritate occidentem in officio continere posset. Quod *Bonifacius* III. non ignorans, petiit titulum *Oecumenici* Episcopi, ac facile impetravit, *ut Sedes Romana caput omnium Ecclesiarum* haberetur. Quod decretum in Synodo LXII. Episcoporum publicavit Bonifacius III. & non sine contentione obtinuit. A. IɔCVII. Ita Episcopi Romani in ANTICHRISTOS mutati sunt. Quippe, ab hoc Bonifacio III. omnes, qui successerunt in

in Episcopatu Romano ad nostra usque tempora, *Antichristi* fuerunt.

XI. Introducto autem primatu Pont. Rom. *Ecclesiæ Græcæ à Latinis secessionem* ecerunt, neque Schisma illud unquam aboleri potuit. Neque modo ob primatum discordabant, verum etiam in aliis capitibus doctrinæ, inprimis de *Sp. S. processione*, quem Græci à *solo Patre* per Filium, Latini & à *Patre* & à *Filio* procedere volunt: Hæc controversia demum circa A. Iɔcc. orta fuit, ut ex Urspergensi colligitur. Nitebantur autem Græci tum loco Joh. XV. 26. tum authoritate Synodi Constantinopolitanæ contra Macedonium, ubi dicitur: *Spiritum Sanctum à Patre procedere*, nulla mentione Filii facta. Initio per CC. annos hæc controversia summa moderatione acta fuit, ut ex Theophylacto in cap. 111. Joh. patet. Circa A. cIɔLVI. demum in gravius certamen exarsit, sub *Constantino* Monomacho *Michaël* Patriarcha Constantinopolitanus sententiam Latinorum ut hæreticam exagitavit, excommunicavit Latinas Ecclesias, & *Templa* quæ habebant in Imperio Græco *claudi* jussit, publice etiam *præmium* proponi curavit *ei, qui contra Latinos scriberet.* Latini non minore animo suam sententiam defenderunt, duce & antesignano *Anselmo*, ac Symbolo Constantinopolitano hæc verba: *A Patre*(Filioque)*procedit*, inseruerunt, quod male habuit Græcos.

Græcos. Quid in Florentino Concilio sub Eugenio IV. postea inter Græcos & Latinos actum transactumque fuerit, ex actis editis videri potest. Accessit mox controversia de Imaginibus, quas Græci primo in universum damnarunt, nunc sculptas tantum rejiciunt, retinent pictas. Imprimis primatum Pontificis Rom. execrantur, eumque quotannis tanquam schismaticum solenniter damnant, ac ipsos Latinos se ad fidem Græcam applicantes, rebaptizant.

XII. Mox sub HERACLIO ex Eutychianismo nova *Monothelitarum* secta exorta, quæ denuo vehementer Ecclesias perturbavit. Nam, cum *Heraclius* post bellum Persicum versaretur Edessæ vel Hierapoli, incidit in sermones cum *Athanasio* sive *Paulo* Jacobitarum Patriarcha sive *Catholico*, cui promisit *Patriarchatum* Antiochenum, siquidem *Concilium Chalcedonense* reciperet, & *duas* in Christo *naturas* inconfuse unitas confiteretur. Quod cum Athanasius sive Paulus in gratiam Imperatoris faceret, in illo colloquio facta est mentio *unius voluntatis* & operationis Christi, de qua cum Imperator consuluisset *Cyrum* Phasidis, mox Alexandriæ & *Sergium* Constant. Episcopum, *unam in Christo voluntatem unamque operationem* asseruerunt, quibus etiam assensum Imp. præbuit. Hæc est origo *Monothelitarum* qui oretenus confitentes duas in Christo natu-

naturas, earum tamen veram distinctionem tollebant ac diversitatem, confundentes voluntates & operationes.

XIII. Huic *Monothelitarum* errori consensit quoque *Honorius* I. Papa Rom. Quare tantis authoribus confidentiores facti Monothelitæ, prohibuerunt disputationes de una vel duabus voluntatibus, ac nomine Imp. Heraclii promulgarunt ἔκθεσιν seu *Fidei declarationem*, in qua *una* tantum *voluntas* stabiliebatur, ac publice docenda omnibus commendabatur.

XIV. Hanc Ecthesin *Iohannes* Episc. Rom. Synodo habita condemnavit. *Constans* autem Imperator novum proposuit edictum quod *Typum* appellavit, in quo *utrique parti* & *Orthodoxis*, & *Monothelitis* silentium imperavit. Hunc Typum damnavit *Theodoretus*, deinde etiam *Martinus* Papa Rom. Synodis Romæ habitis. Martino in exilium propterea misso, successit *Eugenius*, huic *Vitalianus* inventor *Organorum Musicorum* in Templis.

XV. Jamque eo res evaserat contentionis, ut Monothelitæ contra duas voluntates manifeste furerent. Quare Imp. *Constantinus* Pogonatus, VI. *Oecumenicum* Concilium Constantinopoli in Palatio, quod *Trullus* dicebatur, CCLXXXIX Episcoporum convocavit A. IↃCLXXX. in qua Monothelitarum errores damnati. Quoniam vero neque in *quinta* neque *sexta* Oecumenica

nica Synodo *Canones Ecclesiastici* conditi fuerant, ideoque paulo post sub *Justiniano* Rhinotmeto habita fuit *nova Synodus* in *Trullo*, quæ condidit Canones. Et quia hæc Synodus veluti *Supplementum* fuit quintæ & sextæ, hinc à Græcis πενθέκτη, à Latinis *Quinisexta*, appellata est. Hanc *Quinisextam* hodierni Pontificii rejiciunt ob *Canones* quosdam *ipsorum placitis adversantes*, cum tamen eam *Nicænum Concilium secundum*, quod pro authentico habent, & *Adrianus* Papa confirmaverint. Notandum etiam, *Honorium* Papam ab hac sexta Synodo cum reliquis Monothelitis fuisse anathematizatum; idemque fecit *Leo* Papa II. Synodus *Nicæna* secunda, *Adrianus* II. ac aliæ Synodi & Episcopi: quod frustra negare audent *infallibilitatis* Pontificiæ assertores hodierni.

XVI. Medio temporis lux Christianæ fidei ad *Frisios*, *Hollandos*, *Trajectinos*, *Gelros* translata fuit à Saxonibus, *Wilebrordo* & sociis ejus. Late autem tum patebat Frisiæ regnum, & ab Albi ad Rhenum usque protendebatur. Ejus gentis Rex RADBODUS tandem in baptismum consensit: sed cum intellexisset *majores suos in inferno esse*, retraxit ex baptisterio pedem, dicens: *malle se cum majoribus suis viris illustribus in inferno, quam cum misero populo Christiano & clericis in cœlo esse.* Paulo post à Dæmone strangulatus misere periit.

XVII. Sub

XVII. Sub PHILIPPICO Imp. non modo recruduit Monothelitarum error, verum nova etiam controversia *de cultu & adoratione Imaginum* exorta fuit: nam Imperator *Christi*, *Mariæ*, *Sanctorumque* imagines è templis sustulit, ac *coli* & *adorari* prohibuit. Diximus supra, *usum Historicum* imaginum paulatim in Ecclesia invaluisse, qui mox in cultum & adorationem deflexit. Defenderunt autem hunc acerrimè Pont. Rom. ac Imp. propterea excommunicarunt. Origo hujus certaminis de Imaginibus hæc fuit: Cum *Iohannes* Monachus Monothelita, factus fuisset Patriarcha Constantinopolitanus, ejus doctrinæ examinandæ causa, indictum fuit Constantinopoli Concilium A. IↃCC XI. ubi hæreseos condemnatus est. Pontifex in rei memoriam *omnium Episcoporum*, qui Concilio interfuerant, *imagines* in porticu S. Petri depingi curavit: qua occasione cœptum *de imaginibus* inter Græcos & Latinos disputari, illis, *abrogandas* ut pietati inimicas, contendentibus, his eas ut *necessarias* defendentibus.

XVIII. Hac detestanda Idololatria commotus LEO Isaurus, hujus nominis tertius, edictum promulgavit A. IↃCCCXXVI. *ne quis ullam manufactam imaginem adoraret.* Mandavit etiam *omnes imagines dejici & confringi*, *picturas abradi, parietes dealbari.* Gregorius III. hoc intellecto, Leonem

nem excommunicavit, qui brutum hoc fulmen risu excepit, dicens: *Idololatra est; ipsemet excommunicatus est.* Dictus est propterea *Iconomachus*. Neque modo Imp. excommunicavit *Gregorium*, verum etiam *vectigalia* Italica solvi prohibuit; icto cum *Francis* fœdere. A quo tempore *Italia*, ab Imperio Constantinopolitano avulsa, in *Francorum*, Roma in *Pontificum* potestatem pervenit.

XIX. Successit Leoni Isauro filius CONSTANTINUS I. Copronymus, longe infensior imaginum hostis, qui etiam Constantinopoli habita VII. *Synodo* OEcumenica 3~~ adoratores Imaginum ut *Idololatras*, *Xylolatras*, *Iconolatras* condemnavit, ac imagines omnes ex templis amoveri, & *ne privatim quidem* haberi voluit. Crescebat inter hæc Pontif. Rom. authoritas, opera imprimis PIPINI Francorum Regis, qui *Stephano II. Exarchatum Ravennatem* donavit. In *Germania* tanta sacerdotum ruditas fuit, ut quidam in Bavaria baptizarit *in nomen Patria & Filia & Spiritua Sancta*, quem baptismum legitimum pronunciavit *Zacharias* Papa.

ARTI-

ARTICULUS II.

A Carolo Magno ad Henricum quartum.

I. SEquitur nunc INSTAURATIO IMAGINUM facta A. IↃCCLXXXVII. in Concilio *Niceno* II. quod œcumenicum VII. vel VIII. vocant, annitentibus *Irene* cum filio *Constantino* VI. In eo decretum: *Sacras imagines non tantum haberi posse ad historicum usum, sed etiam ex mandato divino necessarias in templis esse, imo venerandas, osculandas, salutandas, colendas & adorandas: Cereis, suffitu & similibus honorandas.* Mox *omnia* iterum *templa imaginibus referta.* Irene, soceri sui *Constantini* Copronymi *Corpus effossum publice cremari, cineres in mare dispergi jussit:* filio, quod imagines deturbaret, oculos erui curavit.

II. Cum vero *Acta* hujus VII. vel VIII. Concilii Oecumenici in Occidentem perlata fuissent, KAROLUS Magnus celeberrimam Synodum *Francofurti* ad Mœnum convocavit trecentorum Episcoporum A. IↃCCXCIV. In hac Synodo primum examinata & condemnata fuit hæresis *Adoptianorum*, quam paulo ante in Hispania sparserant *Felix* & *Elipandus* Episcopi. Statuebant autem hi: *Christum, etiamsi secundum divinam naturam sit verus, proprius ac naturalis Dei filius, tamen secundum humanam naturam non nisi adoptione & gratia*

gratia esse Dei filium sive filium Dei adoptivum. Appellata fuit hæresis *Feliciana* & ex *Nestorianismo* profecta est, dividens Christum in duos filios duasque personas. Huic errori Orthodoxi hanc doctrinam opposuerunt: Jesum Christum verum esse Deum, verum in eadem persona hominem: *in divinitate Dei Patris Filium: in humanitate hominis matris filium: verum in utraque substantia Dei filium verum, non adoptive sed proprie, unum verum Deum, unum filium, non duos filios, licet aliud propter Deum, aliud propter hominem, non tamen alium & alium.* Ex hac controversia duæ postea natæ sunt quæstiones. Una: *Vtrum Christus, secundum quod homo, dici possit filius Dei.* Responsum à Scholasticis, si *secundum quod* accipitur causaliter & formaliter, non posse dici, quia non propter humanam naturam est filius Dei, sed filius Mariæ: si vero notet *indivisionem concomitantiæ*, recte ita dici, ut sensus sit, personam Christi existentem in humana natura esse Filium Dei.

2. *Vtrum una an duæ filiationes in Christo?* Resp. Si filiatio accipiatur relative, tum duæ sunt filiationes vel *relationes reales* in Christo; si pro proprietate personali, una tantum.

III. Sed præcipuum opus Synodi Francofordanæ fuit controversia de *imaginibus*. Igitur imaginum usus *historicus* appro-

approbatus, *adoratio* damnata, Græcorum Nicæna Synodus rejecta, ac ſtatutum ut & nec VII. nec univerſalis, ſed *Pſeudo-Synodus* vocaretur. Publicatum *Opus Carolinum* contra illam Pſeudo-Synodum, cujus defenſionem *Adrianus* Papa fruſtra ſuſceperat.

IV. Fuit autem laudabile *Caroli M.* ſtudium in propaganda fide Chriſtiana. Nam, cum *Saxones* debellaſſet, paſſim inſtituit Epiſcopatus *Bremæ*, *Oſnabrügis*, *Mindæ*, *Hamburgi*, & alibi. Scholas quoque multas excitavit, Euangelia & Epiſtolas opera *Pauli* Diaconi ordinavit, bono animo ſed malo ſucceſſu. Quippe ab eo tempore lectio ſacrarum ſcripturarum adeo eviluit, ut plurimi etiam *Biblia* eſſe ignorarent. His Euangeliis *Alcuinus* Homilias ex Patribus adjunxit, quæ cum poſt textus illos Biblicos legerentur, *Poſtilla* fuerunt appellata. Jus quoque Epiſcoporum creandorum & ipſius Pontificis Rom. electionem habuit, quam vocabant *inveſtituram* per *annulum* & *baculum*. Itaque *Leo* Pontifex ipſi *juramentum ſubjectionis* ac *fidelitatis* dixit.

V. Circa quæ tempora, *Dania* quoque ac *Suedia*, opera *Anſcarii* Epiſcopi Hamburgenſis ad fidem converſa eſt. In Oriente certamen de Imaginibus denuo recruduit, *Leone*, *Michaele*, *Theophilo* imagines abolentibus, quas tamen paulo poſt reſtituit *Theodora*.

VI. Interea Romæ novum quoddam & inauditum facinus accidit. Mulier quædam nomine *Gilberta*, Anglica, Moguntiaco oriunda, sexum mentita virilem, *Athenas* se contulit: inde *Romam* profecta, doctrinæ ac morum præstantia *Pontificatum* post Leonem IV. nomine *Iohannis* VII. vel VIII. A. Christi Iɔ ccc L I V. obtinuit. Uni soli familiari res cognita erat, à quo compressa, puerperio in via publica mortua est, cum Pontificatum tenuisset ultra biennium.

VII. Hujus rei veritatem confirmant amplissimi testes plusquam viceni, quos inter *Ranulphus* Monachus Flaviacensis, qui vixit circa A. Christi Iɔ ccccxxx. *Marianus* Scotus, *Sigebertus* Gemblacensis, *Martinus* Polonus, ut recentiores magno numero omittam. Quingentis totis annis id in ipsa Eccl. Pontificia fuit extra controversiam. Unde mos fluxit explorandi prius sexum, antequam novus creetur Pontifex.

VIII. Crescebat indies apud Barbaros Christiana fides, *Dalmatas*, *Slavos*, *Bohemos*: Methodius *Normannos*, *Russos*, alios alii converterunt. Fervebant tum piraticæ Normannorum in Britanniam & Galliam excursiones, quorum tanta rabies fuit, ut in publicis precibus hæc formula adderetur: *à furore Normannorum libera nos Domine.*

IX. Cir-

IX. Circa ſeculum, à nato Chriſto, nonum, horrendæ in Eccl. Chriſti tenebræ fuerunt: nihil in *moribus*, nihil in *doctrina* ſani, Pontifices, Epiſcopi, Sacerdotes, rudes, flagitioſi, impii, unde à ſcriptoribus ſeculum vocatur *infelix*, *triſte*, & *miſerum*. In tantis tenebris quid mirum eſt craſſiſſimos errores invaluiſſe? Germani tamen, Galli, & alii occidentales conſtanter adhuc repugnabant *adorationi* Imaginum.

X. Tum de *orali manducatione* Corporis Chriſti in Cœna Domini ſententia ſpargi cœpit. Nam *Paſchaſius* Ratbertus Abbas Corbienſis, & *Amalarius* Epiſcopus Trevirenſis, ſubſtantialem quandam converſionem & præſentiam introducebant. Huic novo errori acriter ſe oppoſuerunt *Rabanus* Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, qui figuratam locutionem agnoſcebat; nec non *Iohannes* Erigena Scotus, Vir doctiſſimus, qui cum taxaret craſſam illam oralem manducationem, à diſcipulis inſtinctu Monachorum graphiis confoſſus eſt.

XI. Quis vero Pontificum per illa tempora enumeret flagitia? Fatetur *Baronius*, perveniſſe ad Pontificatum homines *monſtroſos*, vita *turpiſſimos* & undiquaque *fœdiſſimos*. Cadaver *Formoſi* Papæ *Stephanus* VI. ſepulchro extractum Pontificalibus veſtibus exui & laicalibus indui, tum degradatum ac condemnatum in Tiberim

abjici jussit. Omitto alia horrenda.

XII. Cum *Bohemi*, *Moravi* & aliæ *Slavorum* gentes ad fidem Christi conversæ, per *Cyrillum* præsulem peterent à Papa Formoso: *ut liceret ipsis sua lingua sacra celebrare*, dubitantibus Patribus, vox de cœlo audita dicitur, *Omnis Spiritus laudet Dominum & omnis lingua confiteatur ei*. Ita quod petebant concessum.

XIII. Erant miserrima & corruptissima tempora, cum Papatum monstra illa hominum obtinerent & ipsi Episcopatus pueris conferrentur. Quippe, *Eriperto* filio quinquenni Archiepiscopatus Rhemensis datus. Accidit tum etiam divinæ justitiæ exemplum in *Hattone*, Moguntino Episcopo, qui cum pauperes famis tempore in horreo, mures eos vocans, combussisset, paulo post & ipse medio in Rheno à muribus devoratus fuit. Ita scriptores fide digni. Quamvis *Serarius* Jesuita rem factam neget. Qualis tum vita Pont. Rom. fuerit, ex *Iohanne* XIII. patet, qui Juvenis XVIII. annorum Pontificatum nactus, *Neronem* potius quam *Episcopum* egit. Unde, quod *Diaconos* in equorum stabulo ordinasset, cum *duabus Sororibus* incestum commisisset, *in ludo aleæ* Dæmonum auxilia implorasset, ac iis *vinum præbibisset*, depositus fuit. Nec major in Oriente pietas. Nam & *Theophylactus* Patriarcha Constantinopolitanus, ut *equuleum equam*

parien-

parientem ſpectaret, ſacra, die paſſionis, interrupta reliquit. Apud *Danos*, *Polonos*, *Vngaros* fides Chriſtiana invaluit, ſed peſſime corrupta. Introducebatur paſſim *cælibatus* Sacerdotum, *invocatio* Sanctorum, *purgatorium*, ac opinio illa invaluit *peccata redimi* vel *elui poſſe opere aliquo* in uſum Eccleſiæ præſtito. Unde tot monaſteria, templa ſtructa, tot pro redemtione animarum donationes factæ.

XIV. Inter has errorum tenebras *Berengarius* Archidiaconus Andegavenſis, in ſcriptis Auguſtini verſatiſſimus, veram de S. Cœna doctrinam vindicavit, docens, *Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe in pane & vino, non ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter*, adeoque carnalem præſentiam & oralem manducationem rejecit, quamquam paulo crudius & durius loqueretur. Hinc ſe acerrime oppoſuit *Lanfrancus*, hoc imprimis fundamento: *Hæreticum eſſe qui à Romana Eccleſia diſſentiat*. Berengarius in Synodo Vercellenſi ſub *Leone* IX. damnatus, tandem ſub *Nicolao* II. in Lateranenſi concilio A. cIↃ LIX. ex humana infirmitate ſententiam ſuam revocavit, ſed mox pœnitentia ductus, contra revocationem illam ſcripſit, ac Eccl. Rom. vocavit *Sedem Satanæ*. Nihilominus tranſſubſtantiatio paulatim in Eccleſia radices egit.

ARTICULUS III.

Ab Henrico IV. ad reformationem.

I. HActenus Imperatoria Majestas utcunque Pontificum fastum presserat: sed nunc ea succedunt tempora, quibus Papæ caput supra Imp. efferre eosque pedibus conculcare cœperunt. Id sub Henrico IV. factum. Nam in Concilio Mantuano statutum: *Papam à solis Cardinalibus eligendum.* Alexander vero & Gregorius VII. edixerunt: *ne Laicus investituram Ecclesiasticam conferret.* Hinc acerrimæ contentiones inter Imp. HENRICUM IV. & Gregorium VII. *Hildebrandum* exortæ, qui Imp. excommunicavit. Quare desertus & oppugnatus undique, supplex in Italiam se contulit, ad *Gregorium*, tum in Canusina arce morantem. Hic deposito regio cultu sine calceis, aspera hyeme, jejunus, per triduum expectavit Pontificis responsum, qui interea cum *Mathildi* sua voluptatibus indulgebat. Tandem durissimis conditionibus absolutionem impetravit, & interea Gregorius *Rudolphum* Sueviæ Ducem Imp. eligi curavit, misso diademate cum inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

II. Sic Tyrannidem in *Henrico* IV. cœptam in reliquis Imperatoribus Pontifices continuarunt. Nam HENRICUS V, quan-

quanquam initio acerrime resisteret, tamen ultimo pertinacia Pontificum victus, *investituram* iis remisit, de qua tum potissimum certabatur. Nec recuperare eam LOTHARIUS potuit in Schismate inter *Anacletum* & *Innocentium*, absterritus imprimis authoritate *Bernhardi* Abbatis Clarevallensis, quæ tum longe maxima per Occidentem in Ecclesiis erat.

III. Hic est ille BERNHARDUS, ultimus eorum qui *Patres* appellantur. Nam cum eo desiit antiqua illa Theologia Patrum, & nova *Scholiasticorum* ac *Canonistarum* cœpit, de qua mutatione quoniam insignis fuit, nunc nobis dicendum est paulo distinctius. Notum est, Jus Civile Romanum, quale Justinianus condiderat, cum Imp. Romano collapsum, hactenus per multa secula in Occidente delituisse. Id casu à *Lothario* Saxone in Italia repertum cum esset, in Scholas & tribunalia restitutum fuit. Eodem tempore *Gratianus* Monachus *Canones* Ecclesiasticos, *rescripta* Pontificum, in ordinem redegit & titulo *Decretalium* publicavit. Gratus hic Pontifici Rom. labor fuit, cui suspectum Justiniani jus, ideo modis omnibus auxit, promovit, & ubique introduxit publica authoritate. *Ius Canonicum* à Gratiano cœptum A. CIↃ C XLV. idque variis appendicibus auctum ac locupletatum fuit. Nam A. CIↃ CC XXV. *Raimundus* Barcelonensis,

Decretales libros conſcripſit. *Bonifacius* VIII. ſextum Decretalium addidit. *Clemens* V. A. cIↄ cccvIII. *Clementinas* conſtitutiones, Johannes xxII. A.cIↄ cccxx. *Extravagantes*. Ita conſutum ac conſarcinatum fuit Canonicum Jus, cujus Doctores *Canoniſtæ* dicti, quorum præcipua in eo verſabatur cura laborque, ut *Pontificiam*, prout loquuntur, *Omnipotentiam* ad cœlum uſque extollerent.

IV. Quemadmodum autem Juri civili per Canonicum, ſic Theologiæ Patrum, imprimis S. Auguſtini, per *Lanfrancanos* & *Scholaſticos* derogatum fuit. Scholaſticam Theologiam primus condidit *Petrus* natione Italus, patria Novarienſis, cognomento Lombardus, Epiſcopus Pariſinus, *Gratiani* Juris Canonici conditoris frater, ex inceſtu uterque natus. Hic publicavit libros quatuor *ſententiarum*, ubi de præcipuis capitibus Theologiæ ſententias Patrum, maxime *Auguſtini*, profert. Tum igitur Theologia *cœno quæſtionum rivuliſque opinionum conturbari cœpit*, ut Johannes *Aventinus* loquitur. Hujus Lombardi veſtigia & authoritatem qui ſequuntur *Scholaſtici* dicti, quorum conſtitui poſſunt *tres* quaſi ætates vel *periodi*. *Prima à Lombardo* ad Albertum Magnum centum annorum, quo tempore ſanior adhuc & purior fuit; ſic tamen ut Patrum authoritas pari jam cum S. Literis paſſu ambularet. Parcior

tum

tum adhuc *Aristotelis* in Theologia mentio, cujus Petrus *Lombardus* in quatuor sententiarum libris ne semel quidem meminit. *Secunda*, ab *Alberto* Magno ad *Heronem* de Boio, ubi *major Aristotelis* quam *S. Scripturæ* authoritas: *Tertia*, ab Herone de Boio ad *Cajetanum*, omnium pessima & corruptissima. Hic jam *Philosophia Theologiæ dominari cœpit*, & de divinis rebus quæstiones curiosissimæ moveri ac definiri, terminis adeo barbaris ac spinosis, ut monstrosa omnino inde enata fuerit Theologia. Sic tenebræ plusquam Cimmeriæ in Theologiam invectæ, ac ipsa Scriptura in oblivionem penitus venit, cum nullus liber in Scholis præter *sententias* reperiretur. Sed accessit tertius frater *Petrus* Comestor author Historiæ Scholasticæ, qui S. Scripturam commentis fabulosis & ineptis contaminavit. Ita *tres* hi fratres, *Gratianus*, *Petrus* Lombardus, *Petrus* Comestor, *Ius* Civile, *S. Scripturam*, doctrinam *Patrum*, suis nugis corruperunt. Judæorum vero doctrinam magno ingenio vindicare, & omissis nugis illustrare cœpit R. *Mose* Ben Maiemon, contracte *Rambam*, qui Judæorum fidem XIII. *Ikkarim* sive articulis, oppositis Symbolo Apostolico, publicavit, quos circa A. cIↄcc. Judæi amplexi, summa obstinatione retinent ac quotidie cum gemitu & suspiriis recitant. Eos commentariis suis illustrarunt

 A. cIↄ

A. cIↄ cccc xxv. R. *Ioſeph* Hiſpanus, & A. cIↄ cccc LIV. R. *Lipman*, qui vulgavit librum *Nizzachoth*, oppoſitum IV. Euangeliſtis, cujus refutationem ex parte dedit S. Munſterus, integram *Theod.* Hackſpan, primus in Lingua Hebræa Præceptor meus.

In Oriente ſub Alexio Comneno, quidam Baſilius Sectam condidit, Bogarmitam lingua Arabica dictam, quaſi dicas, miſericordiam implorantem. Horrenda docebant: *Deum eſſe corporeum, & humana forma præditum, unum Perſona, Mundum à Dæmonibus conditum, qui etiam Chriſtianorum templa, imprimis Sophiæ Conſtantinopolitanum tenerent.* Exuſtus fuit Baſilius Conſtantinopoli.

V. Interea *Paparum* in Imperatores rabies magis magiſque creſcebat. Imperabat tum FRIDERICUS I. *Barbaroſſa*, magni vir animi & excelſi, ac ob id inviſus Romanis Pontificibus, quem etiam toto Imperii tempore continuis execrationibus ita perſecuti fuerunt, ut tandem coactus fuerit Venetiis ad pedes *Alex.* III. procumbere, qui proſtrati cervicem conculcavit, dicens: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & colla leonum & draconum conculcabis.* Cui Fridericus: *Non tibi ſed Petro.* Tum ille denuo imprimens pedem: *Et mihi & Petro.* Nec minor modeſtia *Cæleſtini* Papæ fuit, qui *Henrico* VI. Coronam primo impoſuit, mox pede eam decuſſit, ſignificans,

cans, penes se esse *potestatem dandi* vel *auferendi* imperia. Nihil nunc dico qua insolentia sese erga Reges ac Principes alios gesserint: nam ex hoc Imperatorum, quorum maxime tum metuenda potentia, vilipendio æstimari facile potest quid reliquis expectandum fuerit.

VI. Inter has *Papalis Tyrannidis* horrendas tenebras, *Reformationis* aurora paulatim exoriri cœpit. Nam in Gallia primo *Petrus* Bruis Tolosæ; inde *Henricus* Monachus progressi, *Missas pro mortuis*, *Sanctorum invocationes*, *cœlibatum*, *peregrinationes*, *Chrismatis & Olei consecrationes*, superflua *Festa*, *Transubstantiationem*, Pontificum & Cleri *luxum*, *superbiam*, *ambitionem* redarguebant pariter & damnabant: ROMANAM Ecclesiam *Babylonem*, *& confusionis omnis Matrem* palam appellantes. Tantus autem successus hujus doctrinæ fuit, ut *Galliam* fere totam impleret, ac multi Proceres & Episcopi eam in Comitatu *Tolosano* imprimis, amplecterentur.

VII. Displicuit hæc veritatis manifestatio Satanæ; ideo, ut illam mox in ortu opprimeret, tum vehementem *persecutionem* fidelibus movit: tum varios *hæreticos concitavit*, qui veritatem suspectam redderent. Quales erant *Petrus* Abailardus Parisiensis, & *Arnoldus* Brixiensis, qui, præterquam quod in Deo *Compositionem* statuerent ac Personarum Deitatis *gradus*, ita

ut *Pater* Deus esset gradu *summo*, Filius *minore*, Spiritus S. *infimo*, insuper *Pelagianam* hæresin revocabant, & mortem Christi non *λύτρον* sed *exemplum* tantum patientiæ fuisse quod imitemur, & *incentivum* dilectionis mutuæ, asserebant circa A. 1110. & 1143. Contra utrumque scripserunt *Bernhardus* & *Anselmus* à quibus convicti palinodiam cecinerunt & cum Eccl. Orthodoxa in gratiam redierunt. Alibi vero *Guilhelmus* Porretanus Episcopus Pictaviensis novas de SS. Trinitate quæstiones movebat. Sed omnes absurditate superavit EUN, cognomen de *stella* habens, Brito, *Christum sese* afferens, hac motus ratione, quod in exorcismis diceretur: *per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos*, ex nomine suo EUN faciens pronomen EUM. Discipulis nomina *sapientiæ, scientiæ, judicii* imponebat, & cum ingenti agmine *Galliam* pervolitabat, quorum etiam tanta fuit pervicacia *ut mori quam resipiscere* maluerint.

VIII. Sed exorta semel *Euangelii* lux nullis *Pontificum* vel *Satanæ* artibus opprimi vel exstingui potuit, quin imo clarius indies per Orbem Christianum emicabat. Nam, cum A. Chr. cIɔ c xc. *Cyrillus* Monachus Carmelita ex veteri Origenis in Epist. ad Rom. errore, *novum* sive ÆTERNUM publicasset Euangelium, in quo omnia dogmata & ritus superstitiosos Ro-

manæ

manæ Ecclesiæ ex Apocalypsi deducebat, *Petrus* WALDUS civis *Lugdunensis* dives & pius, miraculo ad lucem Euangelii conversus, veram doctrinam publice asserere cœpit, ac S. *Scripturam in Gallicum sermonem* à se translatam populo in Ecclesia exposuit. Ejus sectatores dicti *Waldenses*, ab urbe *Lugdunenses* sive *pauperes* de Lugduno, ab Albigio *Albigenses*, item *Catari*, *Publicani*, *Patarini*, *Gazari*, *Pessagiri* ab exilio, & aliis nominibus appellati. Waldensium autem doctrina imprimis in *taxandis erroribus Ecclesiæ Romanæ* consistebat. Cumque Lugduni ipsis tutis esse amplius non liceret, ductore *Petro* Waldo in Picardiam migrarunt, unde *Picardi* dicti: Sed & hinc metu persecutionis in varias regiones, maxime Bohemiam dissipati sunt.

IX. Hæc *Waldensium*, crescens in dies & numero & doctrinæ puritate, Ecclesia, Pontifici Rom. non levem injecit *metum* ac sollicitudinem: unde in omnes *modos* eam *exstirpandi* intentus fuit, ac horrendas passim fidelibus *persecutiones* movit. Progressi quoque ex inferni abysso duo novarum sectarum conditores, [illegible] Hispanus, & [illegible] Assisius Italus, ruentem Papatum innumerabili *Monachorum*, veritati infensissimorum, multitudine fulcire conati sunt. Hos tantum non ipsi J. CHRISTO *prætulerunt*, & miracula illis

falsa,

falſa, impia,& *ridicula* adſcripſerunt, maxime *Franciſci*, quæ repetere neceſſe non eſt, & legi poſſunt in *Alcorano* Franciſcanorum, & aliis Monachorum Legendis. Puriores tamen in doctrina *Dominicani*, qui doctrinam *Auguſtini* de *Gratia* & *Libero Arbitrio* in hunc uſque diem ſequuntur, unde inter *eos* ac *Franciſcanos* & *Ieſuitas* internecina odia, maxime ob controverſiam, *an Maria ſine Peccato Originali nata*; quod Dominicani negant, Franciſcani & Jeſuitæ aſſerunt. & nuper impius ille *Alexander* VII. hodie Papa R. in gratiam Regis Hiſpaniæ ex Cathedra irriſorum, titulo infallibilitatis confirmare auſus fuit, ſed non potuit, nec poterit unquam.

X Hujus *Dominici* ſummus fuit contra Albigenſes *furor*, qui, *Raimundo* Comite Toloſano ad partes traducto, *Provinciam*, *Aquitaniam* & *pleraſque Galliæ partes* multitudine ſua inundaverant. Ergo Papa *Innocentius* III. *crucem* in eos ſumi juſſit, ac Duce *Simone* Montfortio bellum contra Albigenſes cœpit, in quo eorum *centum millia* amplius trucidata. Hanc calamitatem Deus fidelibus immiſit, tum ut *fidem* eorum & *conſtantiam* exploraret, tum ut *diſperſi*, *ſemina Euangelii* per univerſum occidentem ſpargerent. Et certe diſperſi per *Germaniam*, *Galliam*, *Bohemiam*, *Italiam*, *Croatiam*, *Bulgariam*, *Dalmatiam*, numeroſas paſſim inſtituerunt Eccleſias,

nec

nec ulla vel *inquiſitione* vel *perſecutione* exſtirpari potuerunt.

XI. Celebrabat interea *Innocentius* III. Concilium *Lateranum*, in quo *Tranſſubſtantiatio* approbata, *Confeſſio auricularis* introducta, Laicis *calix* ademtus. Ac,quo clarior indies Euangelii lux inter Waldenſes effulgebat, eo corruptior Eccl.Rom. & Pontificum Rom. ſtatus, adeo ut *Robertus* Epiſcopus Lincolnienſis Papam deſcribens exclamaret:

Ejus avaritiæ totus non ſufficit Orbis,
Ejus luxuriæ meretrix non ſufficit omnis.

Pleni ſunt libri Scriptorum ejus ævi, maxime *Mathiæ* Paris, de corruptiſſimis moribus *Paparum* & Eccleſiæ *Romanæ* miſerando ſtatu. Nihilominus moliebatur *Gregorius* X. in Concilio Lugdunenſi,ac poſtea Eugenius, unionem *Græcæ* & *Romanæ* Eccleſiæ, cum ipſe *Michael Palæologus* Imp. Conſt. intereſſet. Is, ut *Carolum* Siculum à ſe perſequendo diverteret, facile permiſit, *ut Papa Romanus inter Patriarchas primus nominaretur: ut Romam è Græcia liceret appellare: ut in omnibus rebus Papa primatum obtineret.* Sic Græca Eccleſia non minus corrupta, Romanæ ſedi per Michaelem Palæologum ſubjecta, *tanta cum averſatione* & *indignatione Græcorum*, ut eam tranſactionem non tantum retractarint, verum & *Michaelem ſepultura in loco ſacro tanquam Apoſtatam* prohibuerint.

rint. Sciſſa autem ipſa Græcorum Eccleſia in *tres* factiones erat, cumque propterea *Andronicus* Adramytti Synodum convocaſſet, placuit *cujuſlibet partis opinionem ſcripto conſignatam in ignem conjicere*, quæ *incolumis manſiſſet, vinceret.* Sed *ignis chartas omnes repente combuſſit*: unde ſpectantium riſus, ac certamina perſeverarunt.

XII. Sequitur nunc Sedis Papalis ex urbe *Roma* in Galliam *Avenionem* translatio, facta per *Clementem* V. ubi per LXXIV. annos continuos propter factiones *Gibellinorum* in Italia, Pontifices conſederunt. Nec mitiores in Gallia quam Italia fuerunt. Nam, cum *Clemens* V. Venetos excommunicaſſet, *Franciſcum* Dandalum Ducem deprecantem, ad pedes ſuos provolutum, *ferrea catena inſtar canis revinctum, ſub menſa ſua jacere* juſſit. Ejuſdem cum *Philippo* Pulchro R. Galliæ conſpiratione *Templariorum* ordo, falſa hæreſeos criminatione, immani crudelitate exciſus, ac in Waldenſes denuo *Crux* ſumta, miſerique paſſim ad ſupplicia rapiebantur, quæ etiam conſtanti animo ſubiverunt.

XIII. Cum vero *Gregorius* XI. Avenione Romam remigraſſet, poſt ejus obitum memorabile illud *quinquaginta annorum Schiſma* exortum fuit. Nam *Itali* nolebant *Gallum* Papam, *Galli* reſpuebant *Italum.* Unde utraque gens *ſuum ſibi* elegit, quo-

quorum huic *Romæ*, illi *Avenione*, sedes fuit. *Hi se mutuo excommunicabant & Satanæ tradebant.* Romano adhærebant *Itali, Germani, Lusitani*: Avenionensi *Galli, Hispani, Apuli.* Hinc infinita mala & horribiles animorum exacerbationes. Multi Principes *neutrum* agnoscebant Pontificem, ut *Rex Aragoniæ*, Dux *Britanniæ*, Comes *Hannoniæ*, Resp. *Leodiensis:* tandem etiam *Carolus* VI. Rex Galliæ se his *neutralibus* adjunxit, ac edicto prohibuit, *ne quis suorum Romam aut Avenionem excurreret ad Pontificem*: & totos tres annos Gallia Papæ Eclipsin facile tulit.

XIV. Dum ita biceps Ecclesia Romana est, ex Waldensium Schola novum lumen prodiit, Johannes WICLEF Professor Theologiæ in Oxoniensi Academia, Vir acri ingenio, eloquens & Scripturæ peritissimus. Hic Papam publice asseruit ANTICHRISTUM esse: *purgatorium, imagines, Invocationem* sanctorum, *Transsubstantiationem, Indulgentias* aliosque errores scriptis & voce graviter oppugnavit. Hujus doctrinam, incredibile dictu, quam alacriter auditores susceperint, *Wiclefum* Apostolum suum vocantes, adeo, ut ipse Rex *Edoardus III.* & multi procerum aperte ipsi adhærerent eumque defenderent. Sed tandem per *Richardum II.* suasu Monachorum pulsus Anglia Wiclefus, in Bohemiam migravit, eamque, jam ante Wal-

den-

densium receptaculum, nova doctrinæ suæ luce illustravit.

XV. Quippe, Johannes HUSS, lectis Wiclefi libris, in veritate confirmatus, errores ac vitia Ecclesiæ Romanæ occasione *Indulgentiarum*, quas Papa A. cIↃ CCCC. publicaverat, magna libertate & zelo redarguere cœpit. Resistebant autem ipsi imprimis *Germani*, quorum in Pragensi Academia ingens tum numerus erat: Unde Joh. HUSS controversiam ipsis movit ostendens: *non Germanis* ut extraneis, sed *Bohemis* ut indigenis, deberi *suffragiorum pluralitatem*: cumque *Wenceslaus* Rex A. cIↃ CCCC IX. pro *Bohemis* sententiam pronunciasset, irritati *Germani* Academiam deseruerunt, & intra octiduum 24000. ipsorum in vicinam Misniam & Thuringiam migrarunt, qua occasione Academia *Lipsiensis* & *Erphordiensis* excitatæ fuerunt. Bohemi, purgata à Germanis Academia sua M. Joh. *Huss* RECTOREM crearunt. Nihilominus, urgente Archiepiscopo Pragensi, Wiclefi libri denuo *condemnati* & supra *ducenta volumina* exusta sunt.

XVI. Cum vero *Iohannes* XXIII. A. cIↃ CCCC XI. novas promulgaret Indulgentias, *Pragæ* tres ex plebe *palam* iis in *templo* se opposuerunt, PAPAM ANTICHRISTUM appellantes, qui cum *capite* propterea truncati essent, Academici eorum corpora sustulerunt accinentes: *Isti sunt sancti*

qui

qui pro Testamento Dei sua corpora tradiderunt. Ergo duo illi Athletæ, *Hieronymus* Pragensis & Joh. Huss, sese nundinatoribus indulgentiarum opposuerunt, ac ipsi *studiosi* Bullas cum aperto Papæ ludibrio, quem *meretrici* assimulabant, publicè combusserunt.

XVII. Interim Papa *Hussum* Romam citat, ac Pragenses excommunicat quamdiu *hæreticum* illum tolerarent. Quare Joh. Hussus sponte Praga excedens *oppidatim* Euangelium per Bohemiam prædicavit: unde *Silesiam* quoque, *Germaniam*, & *Poloniam* doctrina ejus pervasit, connivente Wencesllao ac dicente, *anserem* (id enim Hus notat) *hunc aurea sibi ova ponere.*

XVIII. Cumque Schisma Pontificum trium, *Iohannis* XXIV. *Benedicti* & *Gregorii* etiamnum duraret, pro eo tollendo ac reformanda Ecclesia Concilium *Constantiæ*, opera imprimis SIGISMUNDI Imp. celebratum fuit. In eo tria imprimis acta. Nam depositis tribus Papis, electus *Martinus* V. ac Schisma sublatum. Deinde calix laicis ereptus his verbis: *Etiamsi Christus & instituerit & administraverit cœnam sub utraque specie, hoc non obstante, &c.* Denique tertio *Iohannes* Huss ad Concilium sub publica Sigismundi fide evocatus, nefarie combustus fuit A. cIↄ cccc xv. 6 Julii, dicente Synodo *Hæreticis non esse servandam fidem.* Qua autem constantia

& ani-

& animi magnitudine mortem tulerit Hussus, ex Martyrologiis constat & Bohemica historia.. Paulo ante mortem Prophetico spiritu adventum Lutheri prædixit: *Nunc quidem*, inquiens, *torretis anserem, at veniet Cycnus quem non poteritis torrere: post centum annos Deo & mihi respondebitis.* Post annum collega Hussi Hieronymus Pragensis A. cIↃ ccccxvi. 30. Maji eadem immanitate combustus fuit, de cujus magnanimitate exstat Epistola Poggii Florentini.

XIX. Hac perfida crudelitate *Bohemi* HUSSITÆ excitati, cum omnes sese neci destinatos viderent, *arma* pro *Religione* arripuerunt. Dux ipsis *Iohannes* ZISKA, inde *Procopius* fuit. Quanto autem cum successu pugnarint, quot exercitus deleverint Hussitæ, adeo ut universa Germania eorum vim sustinere non potuerit, ex Historiis profanis constat. *Zizka* moribundus jussit *pellem* sibi detrahi & ex ea *tympanum* fieri, dicens arrepturos hostes fugam quam primum ejus tympani sonum audierint. Ipsius sectatores *Orphani* imposterum dicti.

Hoc bellum Hussiticum per XIII. continuos annos gestum fuit, de quo Æneas Sylvius: *plus admirationis quam fidei habiturum apud posteros.* dicti Taboritæ, quod in saxoso monte, decimo à Praga lapide, sub nomine Tabor, urbem fundarint & Rempublicam.

XX. Ce-

XX. Celebrabatur tum aliud Concilium *Basileæ*, in quo potissimum de Reformanda Ecclesia agebatur, ac conclusum, *Concilium esse supra Papam.* Id male habebat *Eugenium* IV. qui nihil non, qua dolo, qua vi, molitus fuit, ut dissolveret Concilium, ac interea, primo Ferrariæ, deinde Florentiæ cum Græcis, quorum Imp. *Iohannes* Palæologus & *Iosephus* Patriarcha ibi comparuerant, consensum inibat in articulo de *processione* Sp. S. à Patre & Filio, *purgatorio*, *primatu* Papæ & aliis nonnullis controversis capitibus. Sed *consensum* hunc Ecclesiæ Græca mox *abjuravit*. *Eugenius*, cum obstinate Concilio refragaretur, depositus & in ejus locum electus *Amedeus* Dux Sabaudiæ sub nomine *Felicis V.* Sic novum Schisma, quod tamen non diu duravit, & post abdicationem *Felicis* V. *Eugenius* Pontifex mansit.

XXI. At *Hussitæ* bello invicti intestinis dissidiis succumbebant. Quippe, vulgus in solum *Calicem* intenti quo ad cætera consentiebant Ecclesiæ Romanæ, dicti propterea *Calixtini* & sub utraque. Reliqui numero inferiores, sub *Taboritarum* nomine doctrinam pariter ac ceremonias Ecclesiæ Romanæ, ut superstitiosas & falsas, rejiciebant. Hi exoso etiam *Picardorum* & *Boleslaviensium* nomine traducebantur, ac ipse *Ziska* Taboritarum Dux seductus *Calixtinis* accessit, inque *Picardos* ferro

ferro & igne non minus ac in Papistas sævIit. *Calixtini* in Concilio Basiliensi ope inprimis *Rokyzanæ*, Archiepiscopatum Pragensem affectantis, cum Ecclesia Romana, *solo calicis usu* retento, conciliati sunt, ac cum *Taboritæ* reclamarent, prælio superati omnem bellicam vim penitus amiserunt A. CIↃ CCCC XXXIV. ut imposterum nonnisi *verbi* gladio & *patientia* se defendere potuerint. Reliquæ eorum A. CIↃ CCCC XLIV. penitus oppressæ fraude Rokyzanæ, qui blandis verbis eos pellexit ut controversias suas judicio & sententiæ *Ordinum* sine *provocatione* submitterent. Quod cum simplices Taboritæ fecissent, ex composito sententia pro *Calixtinis* pronunciata fuit, ac coacti Taboritæ consensum in ritibus polliceri, quem cum differrent, à GEORGIO Podiebracio, capta urbe *Tabor*, dissipati & extincti sunt.

XXII. Cæterum *Rokyzana*, cum videret se eludi à Papa vana spe Archiepiscopatus, denuo in *Papam* veluti *Antichristum* detonare cœpit, ac secessionem ab Ecclesia Romana & unionem cum Græcis moliri. Unde nova Taboritis spes, ac *Rokyzanam* velut alterum *Hussum* venerari ac suspicere cœperunt. Sed quo minus secessionem faceret Rokyzana obstitit, sive periculi metu sive ambitione Archiepiscopali: impetravit tamen, Taboritis secessionem facere volentibus, liberum à Rege Geor-

ge Georgio habitandi locum in *montanis Silesiæ* vicinis, quo A. cIↄ cccc lix. secesserunt intenti *Scripturarum* lectioni ac *precibus*, fide & vita ad *Apostolicam simplicitatem* composita. Hi sese *Fratres* ac *sorores* appellarunt; unde *Fratrum Bohemorum* nomen celebre fluxit. Sed non diu pace gavisi, ipso *Rokyzana* Georgium Regem ad *persecutionem* inflammante: unde in *sylvas* & *speluncas* fugere compulsi, acerrimo frigore ignem excitare interdiu non audebant, ne fumo proderentur. Unde *Iamnici* id est Speluncales appellati, interdum etiam *Waldenses*, quod cum iis in Moravia latitantibus communionem aliquam haberent. Gravissima inde sub *Georgio*, *Vladislao*, *Matthia* aliisque Regibus passi Fratres, Waldenses & Piccardi, de quibus Martyrologia videantur. A. cIↄ cccc lxxi. Rokyzana Apostata obiens Georgium Regem Podiebracium secum ad tribunal Dei citavit, qui etiam altero secutus morientem mense est. Subornatus quidam *Lezka*, id est, *mendaciolum* (hoc enim Slavonica lingua significat verbum) qui ex arcanis eorum se latibulis venire dictitans, antiqua Ethnicorum opprobria repetebat. Ludibrio circumductus ejurans & mentiens, *Piccardos caverent*, omnium improbissimos hominum, quasi concionabundus admonuit, non deficientibus qui improba ejus verba scripto consignata

signata quasi serio res acta fuisset, & ipse sinceram edidisset fidei confessionem, populo prælegerent.

XXIII. Sed frustra omnia hæc Satanæ conamina: statim detecta fraus & subornatus impostor, à Monachis ad impiam fraudem inductus, *Lezkam*, id est, mendacem se esse dixit, neque in posterum in gratiam hominum mendacia loqui aut probare velle professus fuit. Hæc ipsa Satanæ fraus Ecclesiæ profuit, multis vanitate Idololatrarum deprehensa, se Ecclesiæ, etiam in *jamnis* sive speluncis delitescenti associantibus & verum Christianismum ab Antichristianismo separantibus. Ipse Mart. *Lutherus* Professor Witebergensis acerrimus Picardorum & Bohemorum fratrum tum temporis hostis fuit, adeoque *Papæ addictus, ut paratus fuerit, si potuisset, occidere aut occidentibus coöperari, qui Papæ vel una syllaba obedientiam detrectasset.* Hic status Ecclesiæ Christi fuit circa A. cIↃ IↃ. Nunc ad reformationis & nostra tempora, non minus persecutionum, Martyriorum & hæresium, quam omnis antiquitas simul sumpta, feracia, accedimus.

PERIO-

PERIODUS III.
A Reformatione usque ad nostra tempora.
ARTICULUS I.
A Zwinglio & Luthero ad Pacem Passaviensem.

I. PErvenimus ad *ultimam* Ecclesiæ PERIODUM, sub qua mutationes maximæ contigerunt. Quarum quæ fuerit *causa*, quid *defectionem* Ecclesiarum *Occidentis* à Pontifice Romano earumque *Reformationem* promoverit, cognoscere operæ pretium est. Ut omnes intelligant, miraculo potius quam humanis viribus negotium religionis ex desperatissimo statu ad *Apostolicam* puritatem paulatim reductum fuisse.

II. *Pontificatum* Romanum gerebat *Leo* X. prodigus pariter & avarus. Qui, cum sorori suæ *Magdalenæ*, quæ prodigalitatem ejus ante Pontificatum suis opibus sustentaverat, valde obæratus esset, donavit illi *Indulgentias*, ex quibus pecuniam quam posset maximam conficeret. Ipsa hanc quæsturam committit Episcopo *Aremboldo*: ille *præconibus* qui eos thesauros publice licitarentur. *Exemtio animæ ex purgatorii flammis decem solidis* æstimabatur. Pecuniam inde natam *nundinatores* partim *Romam* mittebant, partim in *lustris* & *popinis* scelerate & flagitiose abliguriebant.

III. Hos inter Indulgentiarum Quæ-

ſtores duo imprimis eminebant, *Simon* Mediolanenſis & Joh. *Tezelius*, *quorum* illum, *Helvetios* emungentem, *Huldricus* Zwinglius redarguit; alter Joh. *Tezelius* Monachus *Dominicanus*, favore Alberti Brandeburgici, qui tum *Magdeburgenſis* pariter & *Moguntinus* Archiepiſcopus, Germaniam, imprimis *Saxoniam*, deprædabatur ſuis indulgentiis, tanta cum impudentia, ut doceret: *animas è purgatorio repente in cælum ſurſum ferri, dum adhuc tinnitus numiſmatis in gazophylacio audiretur*; & (Luth. Præf. in Epiſt. Joh. Huss.) diceret, *etiamſi quis Divam Virginem Mariam vitiaſſet ac gravidam feciſſet, ſe tamen ejus condonandi peccati, dummodo adſit pecunia, poteſtatem habere.* Denique impia plane blaſphemo ore ipſe & ſocii quotidie deſpumabant, ut rudem & ſuperſtitioſam plebeculam pecunia emungerent.

IV. Diſplicuit hæc IMPIETAS optimo cuique, ſed nemo auſus fuit *inveteratæ* Pontificis Rom. poteſtati, quam hi nundinatores jactabant, contradicere. Solus repertus fuit Wittebergæ MARTINUS LUTHERUS Auguſtinianus, *Doctor* & *Profeſſor* Theologiæ, Vir *acri* præditus ingenio & magnus in Religione *Zelotes*, qui tantam inſolentiam diutius ferre non potuit, ſed ſe, qua *voce*, qua *ſcriptis* Joh. Tezelio oppoſuit. Is igitur A. 1517. 31. Octob. in vigilia *omnium Sanctorum*, XCV. *Propoſitiones* contra

contra *Indulgentias* conſcripſit, *publice diſputandas valvis templi* affixit. Monuit quoque per literas *Albertum* Moguntinum, *ut indulgentiarum loco* EUANGELIUM *docere juberet.*

V. Hoc fuit *primum initium* totius mutationis in Religione, quæ poſtea ſecuta eſt. Nam ſtatim in *Lutherum* exarſit *Tezelius*, & Francofurti ad Viadrum cv. propoſitiones Lutheri diſputationi oppoſuit. Succeſſerunt paſſim *monachi* & *Pontificiæ*, ſpuriæ ac tyrannicæ Majeſtatis, aſſertores, qui Lutherum ut *damnabilem hæreticum* devovebant, quos inter primi & præcipui erant *Sylveſter* Prieras, *Eccius*, *Hochſtratus*, *Cochleus*, *Emſerus* & alii plurimi, quibus *omnibus* acerrime reſtitit *Lutherus*, ſocium in *Helvetia* nactus *Huldericum Zwinglium*, qui jam A. 1516. *Glaronæ* Euangelium docuit, & *Simonem* Mediolanenſem, Tezelii in vendendis indulgentiis ſocium, redarguerat: unde poſtea *Tigurum* vocatus *puram doctrinam publice* contra adverſarios *bis* defendit, & Eccl. in Helvetia reformavit.

VI. Inter hæc ſequentium de Religione bellorum quaſi tyrocinia, audacior indies factus *Lutherus*, cum ſibi faventes videret Principes viros, ac magnam populi multitudinem Pontificiæ Tyrannidis pertæſam; ſtatuit *cauſam ſemel cœptam non deſerere*, quanquam necdum quicquam de Pontificis authoritate imminuenda aut

aliis Religioniscapitibus reformandis cogitaret, & ad Leonem *humillimas* ac pene *supplices* literas scriberet ejusque se sententiæ subjiceret. Ab eo *Romam* citatus *comparere noluit*, metu periculi & insidiarum: terrebant illum vestigia meretricis, in campo Floræ. Missus igitur in Germaniam *Thomas de Vio* Cajetanus Cardinalis, cui se Augustæ Vindelicorum stitit Lutherus A. cIↄ Iↄ XVIII. ac *humi* prostratus ante *surgere* noluit quam Cardinalis *ter* inclamasset, *surge*. Hic urgebat revocationem: Lutherus, *se paratum* dicebat *revocare*, siquidem erroris ex *Scriptura* convinceretur. Cum neque *minæ* neque *blanditiæ* Cajetani quicquam proficerent, ac ejus *insidias* metueret Lutherus, *clam* Augusta discessit, & à *Cajetano* ad *Pontificem* 16. Octobris, à *Pontifice* ad *Concilium* 28. Novemb. provocavit.

VII. Ab eo tempore cœpit REFORMATIO Ecclesiarum, cum *Lutherus* excusso Pontificis Romani *jugo*, eum *magnum* illum esse ANTICHRISTUM doceret. In quo fervore velut alter *Elias* progressus, omnia *pudenda meretricis Babylonicæ flagitia* propalavit, & incredibili cum animi magnitudine, nulla *Cæsaris, Imperii, Papæ*, ratione habita, solius Dei fiducia armatus, *universum* pene *Occidentem* à *superstitionibus* & *Tyrannide* Papali liberavit. Cumque eum excommunicasset *Leo* X. ejusque *scripta*

scripta flammis abolevisset Romæ, Lutherus par pari retulit. Nam Wittebergæ extra portam Elistri, invitatis solemni *Programmate* studiosis, *Corpus* Juris Canonici & *Papales* bullas in ignem conjecit, addens illud Samsonis: *sicut mihi fecerunt, ita feci illis*. Deinde studiosos graviter ad *odium* Papæ, tanquam FILII PERDITIONIS, inflammavit hoc Symbolo usus:

Vivus ero pestis, moriens ero mors tua Papa.

VIII. Sic cum in duas partes ob religionem scissa esset Germania, Carolus V. Cæsar adhuc juvenis & Pontificiorum consiliis obnoxius haud obscure in Lutheri perniciem annitebatur, siquidem id per Saxoniæ Electorem aliosque Principes Luthero addictos licuisset. Nihil tamen non molitus est, ut Lutherum à proposito dimoveret & Ecclesiæ Romanæ conciliaret, non tam *amore* Papæ, cum quo paulo post *acerrimum* bellum gessit, quam studio *pacis* publicæ, & factionum indies invalescentium *metu*. Ea fine convocata *Wormatiæ* Comitia solemnia A. cIↄIↄxxi. ad quæ ut *rationem fidei suæ* redderet, fide publica evocatus fuit *Lutherus*. Dissuadebant iter amici & familiares, & recens adhuc *lugubre Ioh.* Hussi & *Hieronymi* Pragensis exemplum erat: necdum *feralis* illi Concilii Constantiensis Canon abolitus, quo statutum: *Hæreticis non esse servandam fidem.* Nihil tamen infractus animo Lutherus, eò

cum Imperatoris caduceatore perrexit, dicens: *se Wormatiam iturum, utcunque tot ibi Diaboli forent, quot in urbis tectis reperirentur tegulæ.*

IX. WORMATIAM delatus, *incredibili* cum constantia coram Imp. & Principibus veritatem Euangelii defendit. *Revocare* Scripta sua jussus, id se facturum promisit, *cum erroris ex Scriptura convinceretur.* Bis comparuit, & cum nec *ipse* à veritate deficere, neque *adversarii* eam admittere vellent, bona cum CAROLI V. Cæsaris venia, *re infecta* discessit: sed in reditu, ita dirigente Electore SAXONIÆ, *Friderico* sapiente, à Nobilibus quibusdam in Arcem *Wartberg* prope Isenacum abductus, ibidem totos menses decem velut in *Pathmo* quadam delituit, & *Scripturarum* versioni scribendisque aliis Ecclesiæ utilibus libris diligentem operam impendit. Interea à Cæsare *proscriptus* fuit, quod periculum in illo latibulo & favore Saxonis evitavit.

X. Dum Witeberga absens est Lutherus, interea *Carolostadius* imagines templis exturbabat: unde non leves turbæ exortæ sunt. Cumque authoritatem suam ea innovatione vilipendi putaret Lutherus, ex Pathmo sua, *factum non adeo probante Saxone*, Witebergam redit, moxque in Carolostadium insurgit: unde gravia certamina nata fuerunt, quæ cursum Euangelii non leviter retardarunt. Ab eo tempore Luthe-

Lutherus nimium *affectibus suis* indulsit, ac in quosvis ab ipso dissentientes insolenter grassari cœpit. Cujus quidem specimen luculentum erga *Henricum* Regem Angliæ edidit.

XI. Quippe is Rex, novo & inusitato exemplo, contra Lutherum pro Romani Pontificis authoritate & placitis *calamum* strinxerat: unde etiam in Cardinalium Senatu FIDEI DEFENSORIS Titulum accepit Rex cætera impius. Imprimis impugnavit *Lutheri* librum de *Captivitate Babylonica*, usus opera Episcoporum, quod nec ERASMUS Roterodamus diffitetur, cujus quidem viri summa tum temporis erat authoritas: quanquam ipse ita se *ambiguum* gesserit, ut neque à Pontificiis gratiam reportarit, neque *Luthero* unquam satisfacere potuerit, qui Erasmum in divino pro *servo arbitrio* libro, quo post Apostolica scripta nullus lectione & meditatione dignior est, vivis coloribus depinxit, ejusque trepidationes in bona causa ingenti animo nec minori elegantia styli exposuit ac reprehendit. Initium persecutionis contra Euangelicos factum fuit Bruxellis in duobus Monachis Augustinianis, *Henrico* & *Iohanne*, qui, Inquisitore Jacobo Hogstraten Dominicano, flammis sunt traditi Kalend. Jul. factum plane improbante Erasmo, tanquam alienum à Christiana professione.

XII. Nihil non hactenus egerant Pontificii, ut *Luthero* validum & *parem* opponerent antagonistam, & ad eam concertationem imprimis videbatur aptus esse *Erasmus*, qui tandem authoritate *Henrici* Angl. Regis & Card. *Wolsei* persuasus, *Diatriben* contra Lutherum de Libero Arbitrio A. cIↃ IↃ XXIV. edidit. Non minori omnium expectatione res excepta est, quam si duo magni montes concurrerent. *Lutherus* dignum nactus adversarium ostendit quantum in *abditissimis Theologiæ* capitibus profecisset, opposito Erasmi Diatribæ *Servo arbitrio*, quod scriptum inter omnia Lutheri imprimis excellens & admirandum censetur, nequeunquam stante Orbe terrarum & Ecclesia, quisquam Lutherum in illa quæstione, *Deus ab homine, an homo à Deo absolute pendeat*, superabit.

XIII. Defuncto Leoni X. successit in Pontificatu *Adrianus* VI. Caroli V. Præceptor, *Ultrajectinus* origine: de quo lepidum illud circumfertur: *Ultrajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit.* Cui subscriptum ab alio: *Hic Deus nihil fecit.* Cum igitur Ordines Imp. *Noribergæ* congregati intellexissent, *novum Pontificem non alienum esse ab Ecclesiæ Reformatione* & *Curiæ* Romanæ, miserunt Romam *Gravamina* CENTUM, quibus *opprimi* & *exhauriri* Germaniam docebant, simulque decretum tale ediderunt: *Viam*

ineun-

ineundæ concordiæ in religione eam videri rectissimam, si primo tempore CONCILIUM *Universale atque* LIBERUM *in Germania celebretur, cujus decreto controversiæ tollantur: interim Theologi novorum librorum editione abstinentes, Euangelium pure & modeste juxta receptas & probatas Ecclesiæ interpretationes dicerent.* Lutherus interea A. cIↃ IↃ XXIII. *Missam* Witebergæ abrogabat, instituta ejus loco *Dominica Cœna*, ac *Pentateuchum* Germanice edidit. *Moniales* quoque exemplo Monachorum excitatæ, passim monasteria sua deseruerunt & honesta matrimonia contraxerunt, quarum unam *Catharinam* à Born paulo post Lutherus abjecto *cucullo*, uxorem duxit.

XIV. Mox illa de Adriano Pontifice concepta spes evanuit, quem Romani, tum odio Germanorum, tum quod de Reformatione cogitaret, veneno necarunt. Successorem habuit *Clementem* VII. Florentinum ex Medicea familia, hominem avarum, impium & turbulentum, sub quo Roma in maximas calamitates incidit. Pontificii cœptam semel hæreticorum, ut Lutheri sectatores appellabant, combustionem, indies atrocius continuarunt. A Dithmarsis *Henricus* Zutphaniensis, qui primus Bremæ Euangelium docuit, in Bavaria *Leonhardus* Cæsar, alibi alii supplicio sublati. Non tam hac atrocitate, quam, tum intestinis Euangelicorum dissidiis, tum

Fanaticorum & Enthusiastarum rabie, novus Euangelii cursus vehementer impeditus & quasi sufflaminatus fuit.

XV. Et dissidia quidem inter Euangelicos, ex Iconomachia Carolostadiana originem trahentia, mox in bellum sacramentarium exarserunt. Lutherus & Carolostadius Jenæ in diversorio, publice pacti sunt de bello inter se scriptis & calamo gerendo, accepitque in rei fidem velut arrham, aureum à Luthero nummum Carolostadius, ac paulo post suum τῦτο, quo *non panem vel vinum, sed ipsum Corpus Christi mensæ assidens* intelligi volebat, publico scripto confirmavit. In Helvetia vero Zwinglius Orthodoxum verborum cœnæ sensum defendit, EST per *significat*, more sacramentali exponens.

XVI. Contra utrumque Lutherus acerrime scripsit, secutus opinionem *Cameracensis* Cardinalis, qui pro Transsubstantiatione *Consubstantiationem* confinxerat. Eum sequebantur Saxones, ac in universum illi qui Lutherani dici voluerunt, quamquam eam appellationem ipse Lutherus improbaret. Zwinglio Helvetii & civitates multæ ad Rhenum, Oecolampadius, Bucerus, & alii adhærebant. Edidit autem integram hujus Belli Sacramentarii Historiam Lud. *Lavaterus*, Tigurinus, quam, qui prolixiora cupit, adire potest. Ab utrisque diversum docere cœpit *Casp.* *Schwenck-*

Schwerckfeld Nobilis Silesius, qui anno Ch. cIↃ IↃ xxvi. defendere cæpit, Hoc, *non panem aut vinum elementale, sed spirituale notare.* Unde in alios errores delapsus asseruit: *verbum* Dei literis comprehensum rem esse *evanidam* & mortuam; *vim* omnem consistere in *illuminatione* & motione Sp. S. *interna*, quæ sit ipsissimum verbum Dei. Ministerium externum non esse magni usus. Ejectus patria secessit in Sueviam, ubi nobilitati imprimis gratus fuit ob modestiam & humanitatem, ut qui adversarios minime insectaretur sed placide audiret.

XVII. Sed nunc atrocius bellum exoritur quod Germaniam vehementer afflixit. Rustici, excitati à fanaticis hominibus *Nicolao Storch* & *Thoma Muntzero*, passim detrectabant obedientiam magistratui debitam, ac prætextu libertatis Christianæ enormiter tumultuabantur: unica æstate cIↃ IↃ xxv. ad quinquaginta seditiosorum millia concísa fuerunt. Huic tanto ac tam formidabili bello causam imprimis dederat *Thomas* Muntzerus, qui enthusiasmos, somnia, revelationes internas & alia fanaticorum jactabat, *Pædobaptismum* rejiciebat, & in infantia baptizatos rebaptizandos. *Scripturam* non esse Verbum Dei, sed illud, quod *occulte* hominibus reveletur. *Deum* novum moliri regnum, in quo, abrogato omni Magistratu, pii re-

rum potituri essent. Præcipuum autem dogma ipsius, cui tota innitebatur seditio, erat: *impios Magistratus esse interficiendos, & in eorum loca pios Principes ac Magistratus constituendos.* Sic, cum animos multorum vana spe novi cujusdam regni fascinasset, Mulhusium occupavit oppidum in Thuringia suosque in aciem contra Principes eduxit, magnifica Oratione victoriam ipsis contra Tyrannos pollicitus, inter alia dicens: *se pilas omnes quas illi tormentis ejicerent, veste sua excepturum.* Et cum forte *iris* in cœlo conspiceretur, id velut faustum victoriæ omen à suis haberi voluit.

XVIII. Sed mox *miserabile* illud agmen à *Principum* exercitu concisum fuit. Emissis tormentis velut attoniti neque se *defendere* neque *fugere*, sed cantilenam Germanicam: *Nun bitten wier den Heiligen Geist*, decantare. Cæsa ad quinque millia: ipse *Muntzerus* in oppido Francenhuso captus & ad Principes deductus fuit. A quibus rogatus: *quid ita miseros homines in fraudem pertraxisset?* Nihil à se præter *officium* factum dixit, & *impios Magistratus* ita coërcendos. Cum vero *Philippus* Hassiæ Landgravius ex Scriptura ostenderet: *Omnem seditionem à Deo prohibitam & obediendum etiam malo & impio Magistratui*, conticuit. Tormentis subjectus, cum præ dolore exclamaret, *Georgius* Saxoniæ

Dux:

Dux: *Tu quidem nunc cruciaris*, inquit, *Muntzere, sed invicem cogita; quot miseri hodie tua culpa perierint.* Tum ille magno cum risu: *Hoc*, inquit, *voluerunt.* Perductus inde *Mulhusium* ibidem cum aliis, agnito prius errore, & adhortatus Principes ad *majorem clementiam erga subditos*, capite plexus fuit, illudque perticæ affixum in campo medio ad terrorem relictum est.

XIX. Cum vero inter *Franciscum* R. Galliæ & CAROLUM V. grave tum temporis bellum flagraret, cui se Pontifex *Clemens* VII. quoque immiscuerat, ROMA à Cæsarianis, Duce *Carolo* Borbonio 6. Maii CIↃ IↃ XXVII. impetu capta & miserrime direpta fuit. Quanta autem fuerit militum *Germanorum* ac *Hispanorum* atrocitas & insolentia Romæ, verbis explicari non potest. Nam præter horrendas *lanienas*, *direptiones, libidines, devastationes*, contumeliæ ac ludibrii genus nullum in *Pontificem* & *Cardinales* prætermissum fuit. Erant hi obsessi in mole *Adriani*, ibique extrema omnia perpetiebantur. Ne *Sepulcris* quidem Pontificum parsum. Quidam *Papali* habitu cum *meretrice* equo insidens, circumductus aliquando *benedixit*, aliquando *maledixit*. Quæ quidem justissima fuit castigatio Pont. Romani, quam etiam *Carolus* Cæsar agnovit, quanquam factum ipsum improbaret & *nullo jussu suo* factum profiteretur.

XX. Suc-

XX. Succedit A. cIↃ IↃ xxix. memorabilis imprimis nomine & federe *Protestantium*, qui tum exorti sunt hac occasione. Cum *Spiræ* conventus Ordinum Imperii celebraretur, editum fuit decretum, quo *libertas* Euangelicorum valde *constringebatur*. Huic decreto se opposuerunt JOHANNES Elector Saxoniæ, GEORGIUS Brandeburgicus, *Ernestus* & *Franciscus* Luneburgici, *Philippus* Hassus, *Anhaldinus*, & 19. Aprilis palam contra *protestati* sunt, & huic protestationi subscripserunt ex civitatibus *Argentina*, *Noriberga*, *Vlma* & complures aliæ. Qui omnes imposterum dicti sunt PROTESTANTES. Et cum passim spargerentur à Pontificiis minæ de *bello* Protestantibus inferendo, iidem mense Novembri SMALCALDIÆ conventum celebrarunt, & de mutuo *fœdere* ac *defensione* adversus *Euangelii* hostes egerunt. Sic omnia paulatim ad apertum bellum spectabant & inclinabant.

XXI. Sed nihil magis angebat Protestantes Principes, quam exortæ inter *Lutherum* & *Zwinglium*, de S. Cœna imprimis, controversiæ. Unde suasu, præcipue PHILIPPI Hassiæ Landgravii, Marpurgi eodem anno convenerunt *Lutherus* & *Zwinglius* cum aliis Theologis & inter se de *Religione transegerunt*. Convenit in omnibus Articulis, præterquam de *Cœna* Domini: sed ne unum illud caput discordiæ caussa esset,

eſſet, ſtatutum: *Quanquam hac vice convenire non potuerit:* an verum corpus & ſanguis in pane & vino ſit corporaliter: *tamen quælibet pars alteri* Chriſtianam dilectionem *præſtabit, & pars utraque Deum omnipotentem aſſidue orabit, ut nos per Sp. S. in vero ſenſu confirmet.* Sed hæc pax non fuit diuturna. Nam mox Lutherus ad ingenium rediit.

XXII. A. cIↃ IↃ xxx. memorabilis fuit Comitiis *Auguſtanis*, in quibus Principes Proteſtantes frequenti numero comparuerunt rationem fidei ſuæ reddituri. Male id initio ſtatim habuit *Cæſarem*, quod *Saxo*, *Landgravius*, *Luneburgicus*, *Georgius* Brandeburgicus & *Anhaltinus* Miſſæ intereſſe nollent. xxv. Junii (ſacra dies & memorabilis) *Confeſſio* Auguſtana, ſcripta à Philippo MELANCHTHONE, prælecta Cæſari & ſcripto exhibita fuit. *Argentinenſes*, *Conſtantienſes*, *Memmingani*, *Lindavii*, peculiarem confeſſionem exhibuerunt, quod in doctrina de Cœna Domini ſententiam *Zwinglii* ſequerentur, neque *Conſubſtantiationem* approbare poſſent. Poſt varia Theologorum certamina, Proteſtantes Principes *re infecta* diſceſſerunt, ac *Smalcaldiæ* inter ſe *Fœdus* percuſſerunt.

XXIII. Interea *Helvetii* civile bellum domi contraxerunt, quod inter *quinque pagicos* ab una, & *Tigurinos* ac *Bernates* ab altera parte geſtum fuit, in quo victis Tigurinis

gurinis, inter alios etiam *Vlricus* Zwinglius occubuit, cujus lethaliter vulnerati hæc ultima vox fuit: *Ecquid hoc infortunii? Age corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* In corpus exanime valde sævitum fuit, & vix etiam illius morte potuit odii acerbitas satiari.

XXIV. Cum vero res in Germània quoque ad bellum spectaret, *Albertus* Moguntinus & LUDOVICUS Palatinus pacem impetrarunt à Cæsare A. cIↃ IↃ XXXII. *usque ad generale, liberum & Christianum concilium.*

XXV. Dum ita Germania turbatur, repente Angliam quoque à Pontificis Romani jugo exemit Henricus VIII. Cui quidem mutationi caussam præbuit divortium Regis cum Catharina, quod improbabat Papa Clemens. De quo, ut ultionem sumeret Rex, publico decreto *primatum Papæ* abrogavit, & se Ecclesiæ Anglicanæ proximum ac supremum à Christo *Caput* monstrosum constituit, capitis proposita pœna, si quis Episcopo Romano supremam potestatem adscriberet; tributum etiam annuum, quod *Petri nummum* vocabant, eidem denegavit, retenta nihilominus Romanæ Ecclesiæ doctrina, quod longe monstrosius erat, ut recte quidam Hispanus, comburi videns simul Lutheranos & Papistas, judicavit.

XXVI. Diximus supra de furoribus Munt-

Muntzeri. Cui quidem in Westphalia A. cIↃ IↃ xxxv. successerunt *Anabaptistæ*, & occupata urbe *Monasteriensi*, grave bellum ibidem concitarunt. Præcipui horum Duces erant *Bernhardus* Rotmannus, *Bernardus* Knipperdolingus, *Ioh.* Matthæus & JOHANNES LEIDENSIS sartor. Horrenda plane sunt & barbara ab his edita facinora, cum *divinas inspirationes* somniantes, passim cædibus immaniter sævirent. Præcipuus tamen inter illos fanaticos erat *Ioh.* Leidensis, qui *Polygamiam* instituit ac primus *tres uxores* duxit, ac paulo post miris fraudibus REGEM ORBIS TERRARUM se proclamari ac coronari curavit. Sic repente ex *Sartore Rex* factus ex *Rege carnifex*, passim decollabat homines, ac suæ quoque uxori *Annæ* cervices in publico foro præcidit. Imprimis *Knipperdolingi* vesania eminebat, qui manibus pedibusque reptans per homines confertim in foro stantes discurrebat, & in os illis inhalans: *Pater* inquiebat ad singulos, *te sanctificavit*, ACCIPE SP. SANCTUM. Libro quoque edito, quem *Restitutionem* vocabant, docuerunt: *Regnum Christi futurum esse ejusmodi ante supremum diem*: ut pii & electi regnent, impiis ubique deletis: *neminem posse fieri salvum* nisi omnia *in commune* conferat: *Ecclesiæ ministros* habere jus gladii: *neminem qui non revera sit Christianus* in Ecclesia *tolerandum* esse.

Emisse-

Emiſerunt etiam XXVIII. Apoſtolos, qui ad *quatuor* mundi plagas profecti, novam hanc doctrinam per orbem terrarum diſpergerent, qui paſſim capti ac capitis pœna mulctati ſunt.

XXVII. Interea urbs à *principibus* obſeſſa fame urgebatur, ac tandem à duobus profugis prodita & expugnata fuit. Capti, *Knipperdollingus* & *Ioh.* Leid. REX, ſpectaculi ergo huc illuc circumducebantur, ac reducti Monaſterium, ibidem ultimo eoque mertiſſimo affecti ſunt ſupplicio. *Rex* quidem in locum editiorem productus ac *palo* alligatus eſt. Aderant duo carnifices ac *forcipes* ignitæ: ad tres primos morſus *conticuit*, deinde *miſericordiam Dei* implorans, cum horam & amplius ad hunc modum laceratus eſſet, tranſacto demum per pectus mucrone deceſſit. Idem ſupplicium ſocii ejus pertulere. Extincti *Caveis* ferreis alligantur ſinguli, & ad ſummitatem turris in urbe exponuntur penſiles, Rex medius & quanta eſt hominis ſtatura ſublimior illis.

XXVIII. Circa hæc tempora nova *Ieſuitarum* ſecta erupit, quæ intra centum annos ea ſumſit incrementa, ut reliquos omnes Monachorum ordines, præcipue Dominicanos & Franciſcanos, oppreſſerint ac plane delere conſtituerint hodie. Ejus conditor fuit quidam *Ignatius* Loyola illiteratus, miles & latro. A. cIↃ cccc xcI.

in

in Cantabria, qui cum primam juventutem petulanter & libidinose traduxisset, profectus in militiam, in oppugnatione *Pompeiopolis* sive Pampelunæ gravia vulnera reportavit, claudus & ob debilitatem metumque, militiæ inhabilis. In quibus curandis dum occupatur, *Amadisi* & *Aricostis* lectione tempus fefellit, inde in *Legendas* sanctorum, id est, otiosorum Monachorum somnia incidit: quarum lectione ita immutatum ferunt hominem, ut quod restaret vitæ, Deo dicare ac conservare statueret, confirmatus, ut tradunt, B. Virginis Mariæ apparitione. Cumque socios quosdam nactus esset, intercessione Cardinalis Contareni, A. cIↃ IↃ XL. à *Paulo* III. *Societas* hæc confirmata, brevi tempore tanta incrementa sumsit, ut universum orbem multitudine sua & collegiis inundaret, mercaturæ & seductioni liberorum divitum (avertunt enim cor liberorum à parentibus) intentis; cætera fere rudes literarum, & paucissimi in tanta multitudine (jam enim trecenta millia & amplius numerant) vel mediocrem habent eruditionem, meri & inepti aliorum transcriptores, Scripturarum rudes & linguarum: cum Dominicani & Franciscani longe eos & probitate vitæ & industria & eruditione superent. Sed præcipuum ab iis *Iesuitis* malum Regibus Principibusque Catholicis imminet, quos
veneno

veneno & ferro necandos clam inter ſuos docent pariter & exercent, ut Gallia duplici experimento cognovit. Sed hæc in tranſitu. Obiit Ignatius A. cIɔ Iɔ LVI. Divorum Catalogo adſcriptus A. cIɔ Iɔcxxii.

XXIX. M. LUTHERUS obiit *Islebii* in patria 18. Febr. cIɔ Iɔ XLVI. ætate LXIII. Fuit omnino vir *magnanimus*, qui talia auſus eſt quæ totus miratur orbis, & qui tot gentibus adverſus ſe conſpirantibus unum ſe oppoſuit. Atque utinam parem addidiſſet animi moderationem nec frena affectibus ſuis nimis laxaſſet! profecto tranquilliores poſt ſe reliquiſſet Eccleſias. Cum eo extincta fuit Pax Germaniæ. Statim enim cœpit bellum *Smalcaldicum* ſive *Saxonicum*, inter *Carolum* V. & JOHAN. *Frid.* Electorem Saxoniæ, in quo ſuccubuerunt *Proteſtantes.* Quæ autem inde conſecutæ fuerint in Religione mutationes, reſtat nunc ut porro exponamus.

XXX. Sequitur nunc bellum *Smalcaldicum* ob Religionem inter *Cæſarem* & SAXONEM ac LANDGRAVIUM geſtum. Cujus quidem eventus triſtis & infelix fuit Euangelicis. Nam *Saxo* ad *Mulbergam* victus à Cæſare, cum acriter pugnaſſet & vulnus glorioſum in mala accepiſſet, captus fuit. Nulli vero Hiſpanorum aut Huſſarorum ſe dedere voluit, ſed Germano nobili *Tiloni* à *Trotte.* Ad Albanum adductus

adductus antequam Cæsari sisteretur, inter eundum, oculis in cœlum sublatis & ex imo corde ductis suspiriis, inquiebat: MISERERE MEI DEUS. Nos sumus JAM HIC. Postea cum in Cæsaris conspectum venisset, *Clementissime Cæsar*, inquit, *me tibi captivum statuo & peto à* V. Cæs. Majestate *custodiam* dignam Principe. Respondit Cæsar, superbe satis & Germanis auribus insolenter, fastu Hispanico: *tractaberis pro merito: scio quid me deceat.* Condemnaverat *capitis* Electorem Cæsar: sed intercessione Principum mitigatus *Electoratu* ipsum & *parte* ditionum mulctavit, ac in captivitate secum circumduxit. Mox *Witteberga* deditionem fecit ac præsidium Cæsareanum accepit. Suaserat quidem Albanus, *ut Lutherus effossus combureretur*, sed Cæsar,*noluit sepulchra mortuorum* violare. *Landgravius* rebus desperatis, Cæsari se captivum stitit Halæ Saxonum, ac præter opinionem captivus perfide & cum perpetua Caroli V. infamia, suasu ducis Albani & Hispanicæ Inquisitionis fraude, detentus fuit. Horum exemplo omnes Principes Euangelici, omnesque civitates Cæsari se submiserunt actumque videbatur penitus de Euangelio; sed frustra; mansit & mansurum est, donec filius ille perditionis, Papa glorioso adventu Jesu Christi penitus detegatur & aboleatur, una cum flagitiosa Jesuitarum secta, cæteris

Mona-

Monachorum otdinibus reformatis, & ex captivitate Babylonica redemtis.

XXXI. Sic *Cæsar* animum applicavit ad religionis negotium componendum, & *armatis* Auguſtæ Vindelicorum *Comitiis* habitis, voluit ut *omnes ſe ſubmitterent judicio & ſententiæ Concilii Tridentini:* interim *Formulam* quandam doctrinæ ſequerentur quam Theologi tum conſcripſerant, *Iulius* Pflug Epiſcopus Naumburgenſis, *Michael* Sidonius, *Ioh.* Islebius Agricola. Hic liber appellabatur INTERIM; ei ſubſcribere omnes Imperii ordines volebat Cæſar. Sed primus reſtitit M. Bucerus, ejuſque exemplum ſecuti alii. Unde longe majores natæ ſunt controverſiæ; cum neque Pontificii neque Euangelici librum illum vellent approbare. Secuta paſſim fuga *Doctorum* Euangelii, quos *Principes* vel *Civitates* dimittebant, ne Cæſarem *Victorem* & *Terribilem* offenderent. Nonnulli tamen *generoſo* & *infracto* animo illud ſtultum *Interim* repudiarunt, inter alios *Wolfgangus Bipontinus* & *Ioh.* Brandenburgicus: Sed maxime omnium ipſe captivus *Ioh.* Frid. Elector SAXONIÆ, qui neque *minis* neque *pollicitationibus* Granvellani, peſſimi impoſtoris & Athei, à fide Euangelica abduci potuit.

XXXII. Ex hoc libro *Interim* natum fuit grave *Schiſma* inter Euangelicos de ADIAPHORIS. Nam, cum inter Theologos Euangelicos deliberaretur: *an* & *quatenus*

reci-

recipiendum esset *Interim*, non omnium eadem fuit sententia. *Quidam*, authore *Flaccio* Illyrico, *Interim* Absolute rejiciebant. *Alii*, duce *Melanchtone* putabant *multos ritus* tanqaam adiaphoros *posse admitti.* Hinc inter hos duos acre bellum *adiaphoristicum* exarsit.

XXXIII. Quemadmodum vero in Germania passim restituebatur *Missa*, & *Pontificis* Romani Tyrannica & Antichristiana authoritas: Sic in Anglia eadem hoc tempore à Rege *Eduardo* VI. abrogabatur, evocatis eo *Petro* Martyre & *Martino* Bucero.

XXXIV. Sequuntur varia inter *Euangelicos* Doctores certamina. Scribebant contra *Witebergenses* Magdeburgici, duce *Flaccio* Illyrico. *Andreas* Osiander, qui propter librum *Interim* Noriberga in *Prussiam* concesserat, doctrinam de *Iustificatione* impugnabat, asserens: *hominem justum esse justitia essentiali*, quæ *ipse Deus.* Witenbergæ nova quæstio, de *necessitate bonorum operum ad salutem*, exorta. Nam *Georgius* Major hanc propositionem defendendam susceperat: *Bona opera esse necessaria ad salutem.* Ejus sectatores dicti *Majoristæ.* Ei contrarius fuit *Nicolaus* Ambsdorfius, qui scripsit: *Bona opera esse noxia & damnosa ad salutem.* Accessit alius error *Francisci* Stancari Mantuani, qui contendebat: *Christum esse Mediatorem tantum secundum naturam*

turam humanam : unde ſecta *Stancarorum* in Marchia Brandenburgenſi enata fuit.

XXXV. Sed hæc præludia tantum erant majoris belli, quod repente MAURITIUS Sax. Elector Cæſari intulit pro liberatione ſoceri ſui *Landgravii* Haſſiæ. Et tanta quidem *celeritate* Cæſar tum oppreſſus fuit, ut intempeſta nocte Oeniponte *profugeret*, ac tum *Saxonem* tum *Landgravium* captivitate liberaret. Cumque univerſa pene Germania potitus eſſet MAURITIUS, interventu *Ferdinandi* R. Hungariæ & Bohemiæ cIↄ IↄLVI. pax PASSAVIENSIS facta fuit, qua *Religionis libertas* ſecundum *Confeſſionem* Auguſtanam conceſſa & ſtabilita fuit, abrogato libro *Interim*, quod per quadriennium hactenus magnas in Germ. turbas dederat. Paulo poſt *Mauritius* in prælio contra *Albertum* Marchionem Brandeburgicum occubuit, anno ætatis XXXII. Et quaſi viciſſitudine quadam ſicut Euangelium in Germania iterum emergebat, ſic in Anglia occidebat, *Maria* Regina, quæ *Eduardo*, VI. A. cIↄ IↄLIII. ſucceſſit, *Papiſmum* per varia ſupplicia, *flammam, ignes, enſem*, violenter reducente, in qua *perſecutione* multi glorioſo *Martyrio* pro veritate Euangelii occubuerunt. Sed neque hæc perſecutio fuit diuturna. Nam *Maria*, Medea illa, ſanguine Sanctorum ebria & jugulatione propriorum liberorum, quos Deus per

Euan-

Euangelium regeneraverat, brevi defuncta successorem reliquit *Elizabetham* sororem, quæ *Papismum* ex tota Anglia denuo profligavit, ac Euangel. restituit, sed fastu Episcopali ac ineptis ridiculisque ceremoniis, contra consilium Bezæ omniumque Reformatorum trans mare turpiter contaminatum, unde postea lerna omnium malorum ad nostra usque tempora profluxit. Idem in *Scotia*, opera imprimis *Iohannis* Knoxi factum fuit. *Phil.* Melanchthon, *piissima* illa & *mansuetissima* anima, obiit Wittebergæ A. cIↃ IↃ LX. ætatis LXIII. & juxta *Lutherum* sepultus est, ut, qui in vita gloriosæ Reformationis authores primi in Saxonia & per mille pericula *Confessores* fuerant, ne in morte quidem separarentur. Quo etiam anno cœperunt tumultus *Gallici* & *Belgici* ob religionem: unde ingentia bella & conversiones consecutæ, prout in sequentibus exponemus.

XXXVI. Interea *Pontifex* Romanus Concilium *Tridentinum* urgebat, in eo pacem Ecclesiis, ut jactabat, sed salvo suo *vicariatu* vel *Vice Deitate* in terris, procuraturus, cujus historia imprimis ad illustrandas horum temporum controversias spectat. Sæpe jam diximus, *Imperatorem* ac *Ordines* Imperii pro reformanda Ecclesia, & componendis, quæ exortæ erant, controversiis, imprimis necessarium judicasse: ut *Liberum*, *Christianum & universale* Con-

CILIUM *celebraretur*. Nec refragabantur *Protestantes*, dummodo *omnes conditiones* ad ejusmodi *Concilium necessariæ* observarentur, ac ipsis quoque *plena sententiae dicendi libertas* concederetur: nec *Pontifex* ejusque *asseclæ* judicis sibi partes arrogarent. Verum impetrari à Pontifice non potuit, ut *in Concilium* TALE consentiret, & metuebat, ne *authoritatis suæ jacturam* faceret; cum præsertim magnæ, ipsorum Papistarum qua *Principum* qua *Ecclesiasticorum*, contra *tetros abusus* & corruptionem AULÆ & ECCLESIÆ ROMANÆ querelæ essent. Tandem, cum diutius reluctari non posset *Paulus* III. A. cIↃ IↃ XLV; Concilium *Oecumenicum* (Cæsare Carolo turpiter jus Imperatorium, *Concilia indicendi*, studio privati commodi & in dedecus nationis Germanicæ, vel negligente, vel dissimulante.) Tridenti indixit, quod plane compositum erat ad *nutum* & *voluntatem* Pontificis, *omni Episcopis libere sententiam dicendi erepta potestate*, qui sese instar *utriculorum* habebant, quos, ut vocem emittant, *inflare* necesse est: ita illi Roma velut *Delphis* ac *Dodona*, expectabant quæ proferrent, & illinc *Spiritus Sanctus manticis inclusus* mittebatur; *qui, cum pluviæ excrescebant, non ante advolare poterat quam undæ desedissent*, prout *Andreas* Dudithius, Episcopus Quinqueeclesiensis ejus Concilii assessor, ad MAXIMILIANUM II. scribit.

Sed

Sed paulo poſt, prætextu aëris inſalubris, Concilium à pontifice *Bononiam* tranſlatum, inde abruptum, & à *Iulio* II. Tridenti inſtauratum, ac mox à *Mauritio* Electore Saxoniæ diſſipatum fuit, donec *Pius* IV. A. cIↃ IↃ LXI. id denuo Tridenti congregaret, *Proteſtantibus* per literas evocatis; Sed illi, *contemto Pontificis ſpurio & uſurpatitio imperio, Concilium* ut *illegitimum* rejecerunt. Sub initia ſtatim *Guido* Faber, legatus *Caroli* IX. *Reformationem* Eccleſiæ vehementer urſit, in mores Cleri depravatos acerbe invectus, ſed *irriſus* ab *Italis* addito Scommate: Gallus cantat. Quo audito *Petrus* Daneſius Epiſcopus Gallus graviter & ſerio regeſſit: *Vtinam hoc gallicinio Petrus ad reſipiſcentiam & fletum excitetur.* Expoſcebant, tum Imp. Ferdinandus, tum *Carolus* IX. Rex Galliæ, & *Albertus* Bavariæ Dux, uſum *calicis* in Sacra Cœna, & *matrimonium* Sacerdotum; Sed nihil à Papa impetrare potuerunt, quem tamen facile ad obedientiam *Regibus & Principibus* debitam ac *libertatem Chriſtianam* adigere potuiſſent, aut illo *Antichriſtiane* refragante, *ipſi* Eccleſias ſuas ſecundum *Verbum* Dei & *Leges Imperii* reformare; non vero à maledicta illa *Roma* & *Babylone* conſenſum, in rebus ad *fidem, vitam* & *libertatem* Germaniæ ſpectantibus, expectare & veluti *ſupplices* precari. Id unum in tota illa Synodo agebatur, ut *errores* &

dogmata Ecclesiæ Romanæ una cum *Pontificis authoritate* stabilirentur, id est, ut *Ethnicismum* antiquum sub forma *Christianismi*, à Papæ nutu dependentis, Ecclesiæ obtruderent, & quæ CHRISTUS *instituerat*, pro lubitu *abrogarent*, quæ ipsis ad *universalem* Monarchiam conducere viderentur, sub *infallibilitatis* prætextu, *Reges Principesque* decipientes, introducerent; id quod hoc ipso anno contingere *videmus* pariter & *ridemus*. Dabit autem Deus in *Cor* Regum, ut turpitudinem *meretricis* agnoscant, si qui inter eos ad tam pium & magnum opus digni reperiantur.

XXXVII. De *Anabaptistarum* furoribus supra quædam diximus. Cum igitur hactenus violenter armata manu & infeliciter *Ecclesiam* suam & *novum* quoddam *regnum* stabilire conati fuissent, ipsorum reliquiæ deterritæ, misero eorum exitu qui in seditione illa ceciderant, *pacatiora* consilia amplecti cœperunt, authore imprimis *Mennone* Simonis Frisio, qui circa A. cIↄ Iↄ xxvi. floruit, ac, retentis *plerisque* dogmatis eorum, *armis abstinendum* docuit. Ab eo celebre *Mennonitarum* per Belgium nomen fluxit. Scissi autem sunt in quamplurimas sectas & factiones, quorum inter se gravissima hodieque sunt odia. Imprimis in *Moravia* radices egerant, ubi duæ eorum sectæ: una, à Jacobo Hultero *Hulteriana*, quæ *Vetus* Testamentum rejicit, alte-

tera, à *Gabriele* Schillingo, *Gabrielistarum*. Inter has tanta animorum abalienatio, ut *ne baptismum quidem* Gabrielistarum *Halteriani* admiserint. Nec major eorum per *Hollandiam* & *Frisiam* concordia fuit, ut cœtus eorum vere dici possint *Babel*, mera confusio & discordia. Propter levissimas causas se mutuo *excommunicant* & condemnant. Multi cum *Socinianis* Trinitatem negant & impugnant, introducentes *diversas* Patris, Filii, & Sp. S. essentias & imparitatem, non tam animi malitia, quam ignorantia scientiarum, quod omnem eruditionem Academicam, præsertim linguarum, à Diabolo esse tradant, ac dum male terminos intelligunt, misere errant, & in errore, sola contumacia, pertinaciter perseverant. Ac diu quidem statui de ipsorum dogmatis non potuit, donec tandem in Colloquio Francothalensi, A. cIↄIↄcLXXI. Embdano A. cIↄIↄLXXVIII. Leowardiensi. A. cIↄIↄXCVII. plenius sententiam suam exponerent. Demum A. cIↄIↄcXVII. etiam confessionem ederent ac corpus doctrinæ promulgarent, de cujus tamen per omnes ipsorum cœtus valde dubitatur consensu.

XXXVIII. Ex hac Anabaptistarum schola, novus quidam prodiit hæresiarcha *David* Georgius Batavus *Delphensis*, qui se *verum* esse *Messiam* jactitabat, non ex *carne* sed *Spiritu* Sancto & Spiritu *Iesu* Christi conceptum. Doctrinam *Mosis* & *Christi* ac

Apoſtolorum imperfectam & *inutilem*, ſuam *vero perfectam*, & ad *æternam ſalutem conſequendam idoneam* eſſe: adeoque ſe eſſe illum *Spiritum* Sanctum, in *quem*, qui *peccet*, ejus *peccati nullam eſſe condonationem*. Dicebat:. *Trinitatem* eſſe tres excellentes Mediatores, *Moſen*, *Chriſtum*, & Chriſtum *Davidis*. Chriſtum *Moſe*, Chriſto *Davidem* ſuperiores. His atque aliis monſtroſis erroribus inſtructus multos per *Hollandiam* ſectatores ſibi comparavit, ac ut periculis imminentibus ſe ſubduceret, mutato nomine in *Iohannem* Bruckium, Baſileam migravit, ibique magnifice, *Orthodoxam* ſimulans religionem, per totos quindecim annos vixit ab omnibus pro viro *nobili* & *honeſto* habitus. Interea errores ſuos *domi* ac per *literas* in Hollandia *clam* propagabat. A. 1556. extinctus, ante mortem prædixit, *triennio* exacto ſe *revicturum*, & quæ *promiſiſſet*, perfecturum, cum, nondum illis exactis, detecta ipſius nefaria *hæreſi*, juſſu Senatus per carnificem *effoſſus* & una cum *libris* combuſtus fuit. Nihilominus ſecta ipſius in *Hollandia* & *Friſia* perſeveravit, quæ in hunc uſque diem famoſo *David-Georgianorum* nomine nota & infamis eſt. Alius etiam tum apud *Batavos* emerſit hæreſiarcha, *Henricus* Domus Charitatis dictus, qui ſe *Moſi* & *Chriſto* præponebat, hoc imprimis argumento, quod cum *Moſes* ſpem, *Chriſtus* fidem tradidiſſet, ipſe omni-

omnibus majorem *Charitatem* tradat. De *Guilhelmi* Postelli furoribus propterea breviores erimus, quod illi potius ex *amentia* & *delirio* quam sana ratione profecti sint. Dicebat: *Se liberasse ab æterna morte viros: matrem suam, fœminas.* De eo *Beza* in capite VII. ad Hebræos ad vers. 1. *Melchisedecianorum portenta auxit, impurum illud & vere modis omnibus execrandum caput, omnium quantumlibet absurdarum hæreseon consarcinator, Postellus.*

XXXIX. Sed nunc novæ sectæ SOCINIANORUM exponenda initia sunt, quæ ex veteri *Ebionismo, Arianismo, Sabellianismo, Photinianismo, Pelagianismo, Abailardianismo*, aliisque damnatis hæresibus conflata, UNIVERSÆ RELIGIONIS CHRISTIANÆ dogmata *innovare, corrumpere, depravare*, stolida & inter Christianos intolerabili ac Reipublicæ exitiosissima audacia cœpit. Hujus sectæ prima jecit fundamenta *Michael* Servetus, *Valentinus* Gentilis illustravit, ac propagavit *Lælius* Socinus: ultimam manum imposuit *Faustus* Socinus, à quibus duobus Socinianorum impium & detestandum nomen fluxit. De his *quatuor* nunc ordine dicendum est. Nam quod nonnulli, ut ministri Orthodoxi in libello supplice ad *Iohannem* Ungariæ Regem, & *Bellarminus* quoque *Erasmum* Roterodamum, Arrianis accensent, quod in Annotationibus in N. Testa-

mentum & aliis scriptis *multa pro Deitate Christi elevet, & in sensum Arrianum detorqueat*, injuriam faciunt Viro summo & doctrinam *Trinitatis semper constanterque* professo; etiamsi nonnulla loca, *Patres secutus*, aliter ac *male* interpretetur. Sic *Lutherani* quoqe Joh. *Calvino* dicam Arianismi impegerunt: quod, *quædam loca Scripturæ parum solide ad Trinitatem probandam applicari*, passim ostenderit. *Justam* tamen conquerendi de Erasmo *causam* Orthodoxi habuerunt. Vide *Bezam* ad I. Timoth. III. 16.

XL. *Michaël* Servetus gente Hispanus, natione *e Arago*, juventutem in Africa inter *Iudæos* & *Muhammedanos* exegit: quorum imbutus blasphemiis, in Europam regressus *S. S. Trinitatem* oppugnare cœpit A. cIↃ IↃ xxv. Hic scripsit libros de *divina* Christi natura: de *erroribus* Trinitatis, & volumen sub titulo, *Restituti Christianismi*, quo præcipuos Religionis articulos corrupit. Ac, ut eo melius lateret, nomine mutato dici voluit *Michaël* Villanovanus. Profitebatur: *Se summum Orbis terrarum Prophetam*. Dogmata ejus præcipua fuerunt.

1. *Deum & essentia & personis unum esse:* qui tamen diversis *modis* se in Vetere & Novo Testamento revelavit, pro quibus *tribus* modis *tres* Personæ constituantur.

2. *Christum non extitisse ante nativitatem*

tem ex Maria, nisi per *Ideam* in mente Dei,

3. Nihilominus *Christum Deum dici, propter sanctam conceptionem* ex Sp. & gratiæ divinæ inhabitationem ac unctionem.

Tandem *Genevæ* agnitus ac deprehensus, sententia *Magistratus* tanquam *blasphemus* & *seditiosus* homo, exustus fuit. A. cIↄ Iↄ LIII. 27 Oct. magna cum Joh. *Calvini* invidia, quanquam is pro ejus vita apud Magistratum deprecatus fuerit, & illa tota causa, blasphemiam pervicacem & seditionem spectaverit. Ipse Melanchton, ac moderatissimi quique supplicium hominis vita indigni justum pronunciaverunt.

XLI. *Valentinus* Gentilis *Italus*, ex Campania oriundus, Genevam ad *Calvinum* se contulit ac initio *Serveti* doctrinam improbavit: postea, in errorem contrarium delapsus, *tres esse Deos essentia, & realiter distinctos*, cum Arrianis statuit, unum autem *Deum Patrem supremum* & altissimum. Hunc esse *essentiatorem*, *Filium* & *Spiritum S. essentiatos*, Filium ab æterno ex essentia Patris diversa genitum. Quo dogmate secutus est Semi-Arrianos, de quibus *August.* VI. de Trinit. Deprehensus in hæresi, *publicam* pœnitentiam egit, *blasphemias* ejuravit, in *Orthodoxam* Ecclesiam receptus est. Sed mox ad ingenium rever-

sus aufugit: donec *Bernæ* deprehensus A. cIↄ Iↄ LXVI. cum in blasphemia persisteret, combureretur.

XLII. *Lælius* Socinus, Mariani Socini Senensis J.C. Clarissimi filius, & ipse *Genevam* delatus Joh. *Calvino* familiariter utebatur, *clam* vero *Samosetanianismum* & *Photinianismum* fovebat, ac novis argumentis incrustabat. Quæcunque nepos ejus, *Faustus* Socinus, dogmata edidit, ea *præmeditata* à patruo & *consignata* accepit. *Tiguri* conscripsit tractatum sub nomine *Martini* Bellii, quo ostendere conabatur: *Servetum injusto supplicio affectum*. Emisit etiam Commentarium in *primum* caput *Iohannis*, quo *fundamenta Socinianismi totius* jecit, ejusque interpretationem hodieque sequuntur omnes Sociniani. Est autem tota illa explicatio capitis primi *Iohannis*, nihil nisi *Chaos* omnis ignorantiæ tam *naturalis*, quam *spiritualis*, & merus *Scripturarum contemtus*: unde ne refutatione quidem digna censeri debet, sed, ut supra ex Alberto Magno de Manichæismo ostendimus, *sperni* & *aboleri* debet.

XLIII. Sed quæ *Lælius* cœperat, ea nepos ipsius *Faustus* Socinus absolvit & in publicam lucem protulit, peculiari secta condita, quam Socinianam appellant. Quæ inter omnes *sectas* & *hæreses* sola *nomine Christiano* indigna est, & deterior ipso *Ethnicismo:*

nicismo: unde non à Papiſtis modo, verum etiam Proteſtantibus ab *omni tolerantia* excluditur, quippe quæ viam præparat *Turcismo* & *Atheismo*, ac *omnes articulos fidei* fucata ſpecie externæ *pietatis* ac *probitatis*, ridet, contemnit, evertit. Is cum ingenio eſſet *Sophiſtico*, *Academico*, ac dubitante, & Linguarum *Græcæ* & *Hebrææ* cognitionem imperfectam & falſam, à *Seb.* Caſtalione, ejuſdem *hæreſeos* conſorte, hauſiſſet, totum *corpus* doctrinæ Samoſatenianæ in commodiorem formam redegit ac paſſim propagavit, ſed nullo cum ſucceſſu, Deo nefarios conatus per Magiſtratum inhibente.

XLIV. Horum quatuor *Archihæreticorum* præcipui ſectatores erant *Georgius* Blandrata, & *Paulus* Alciatus Medici, ac *Bernhardus* Ochinus; qui, perterriti ſupplicio *Serveti* & *Gentilis*, ex Helvetia in *Poloniam* aufugerunt, ibique paſſim impietatis ſuæ ſemina ſparſerunt, quanquam non idem ſentirent. Nam *Blandrata* & *Alciatus*, ſequentes hæreſin *Valentini* Gentilis, erant *Tritheitæ*, *Ochinus* vero Socini diſcipulus, *Samoſatenianus*. Cumque A. cIↃ IↃ LXV. *omnes ex Polonia proſcriberentur*, Alciatus tranſiit ad *Turcas* ac *Muhammediſmum* amplexus, inter eos vitam finiit. *Blandrata* autem fugit in *Tranſylvaniam*, ubi Medicus aulicus factus, ope *Franciſci* Davidis *Arrianiſmum* & *Samoſatenianiſmum* valde

promovit. Qui etiam mox in vicinam pervasit Germaniam, adeo, ut ipsa Academia *Heidelbergensis* & *Ecclesiæ Palatinæ* eo infectæ. Nam *Heidelbergæ* extra ordinem docebat. A. cIɔIɔLXVI. *Simon* Simonius, Samosatenianus clancularius, qui tandem dixit: *se* LXXV. *argumenta contra Trinitatem habere, quorum nullum solide refutari possit.* Sed cura FRIDERICI III supplicio de turbonibus sumpto, iterum liberatæ fuerunt. Interea, vocato ad regnum Poloniæ *Transylvaniæ* Principe *Stephano* Bathoreo, Blandrata in Poloniam reversus, doctrinam suam scriptis propagavit, eumque mox secutus *Faustus* Socinus, qui hactenus Basileæ latitarat, Socinianismum publice stabilivit, inter quem & *Franciscum* Davidis A. cIɔ Iɔ LXIV. controversia de *adoratione* Christi nata fuit, quæ hodieque durat. Nam Fr. *Davidis* asserebat, *Christum nullo modo esse adorandum*, nec in *ejus nomine concipiendas preces:* contrarium defendente Socino. Hujus dogmata sunt.

1. *Deum* ut *essentia*, ita *persona* unum esse.

2. *Christum* non esse FILIUM DEI naturalem: ita tamen dici, *propter conceptionem* ex Sp. S. *officium* divinum, ac *Resurrectionem.*

3. *Spiritum S.* non esse *Deum*, nec *personam*, sed *virtutem* Dei ac *donum* gratiæ.

XLV. Sequuntur nunc furores *Ubiquita-*

quitariorum, qui Ecclesiis Protestantium, *immane* quantum *damni*, & Euangelio *remoræ* attulerunt. Ejus primus author fuit Joh. *Westphalus* Pastor Hamburgensis A. cIↃ IↃ LII. cui succenturiati sunt Joh. *Brentius*, Joh. *Wigandus*, Flaccius *Illyricus*, L. *Osiander*, Jacobus *Andreæ* Schmidlinus, qui docebant: *Corpus Christi esse ubique, omnipræsens, omnipotens.* adeoque *proprietates naturæ divinæ transfusas esse in humanam naturam per unionem hypostaticam.* Et hoc absurdo commento, illam *Corporis* & *Sanguinis* Christi, IN, CUM, SUB pane & vino existentiam asserere conabantur. Huic *malesano* dogmati opposuit se Philippus MELANCHTON, dicens *meram* id esse naturarum confusionem *Eutychianam.* Eo *extincto* longe acrius exarsere *Vbiquitarii*, quorum præcipua capita erant, Joh. *Brentius*, olim Orthodoxæ sententiæ tenacissimus, sed nunc senecta delirus & à Schmidlino ebrioso seductus, Matthias *Flaccius* Illyricus sive Dalmata, quæ natio semper potius scenæ inserviit & affectibus quam causæ fidei, ut ex M. Antonio de Dominis quoque patuit, Jac. *Andreas*; qui *summa impudentia* docebant: Corpus Christi esse in *cantharo cerivisiario*, *sacco*, *avena*, *laqueo quo fur suspenditur*. Imprimis vero famam & doctrinam *Melanchtonis* infensissimo animo oppugnabant, eumque *apostasiæ* apud Zwinglianos insimulabant.

Hinc

Hinc novum Schiſma. Nam qui doctrinam *Melancht.* contra furioſos horum clamores tuebantur, dicebantur PHILIPPISTÆ, eorum adverſarii *Flacciani*, quaſi Flagitioſi. Lapſus tum quoque in alium errorem *Flaccius* Illyricus, *Peccatum eſſe ſubſtantiam* aſſeruit, *& non accidens*, quod dogma viam ad *Manichæiſmum* ſtruebat: *Academia* Witebergenſis tuebatur PHILIPPISTICAM doctrinam: unde *Flacciani* eam horrendis calumniis proſcindebant, vociferante Jac. *Andrea* Schmidlino, *Se eorum ſententiam pro Alcorana & Mahumedana habiturum, omneſque qui ubiquitati contradicunt, Arrianos & Mahumedanos eſſe.* Hinc, cum Flacciani Ubiquitiſtæ, numero & authoritate apud *Auguſtum* Saxoniæ Electorem prævalerent, gravis in PHILIPPISTAS perſecutio erupit, quos inter præcipuas miſerias ſuſtinuit Caſp. PEUCERUS, gener Melanchtonis, toto *decennio* in carcere miſerrime detentus, & fere ad mortem, eamque *ſine ſepultura*, condemnatus. Denique, *inde uſque ab Arrianorum temporibus* non fuit MAJOR contra *Eccleſiam* Orthodoxam FUROR, quam Ubiquitiſticus & Flaccianus illius temporis. Tandem ſex Ubiquitatis Patroni, quos inter præcipui *Schmidlinus*, *Selneccerus*, *Chemnitius*, *Chytræus*, in Burgenſi Monaſterio *Concordiæ* librum conſcripſerunt, cui *qui ſubſcribere* nollet, â communione *Auguſtanæ Confeſ-*

ſionis

ſionis excluderetur. Ita ſex miſeri Theologaſtri (cætera docti, ſed in hac cauſa à Diabolo & quibuſdam maleſanis Politicis ſeducti) præſcribere normam cunctis fidelibus & proteſtantibus, ſub pœna Anathematis voluerunt. Noluerunt autem ſubſcribere varii *Principes* ac *Eccleſiæ* Proteſtantium, quos inter præcipuus Rex Daniæ Fridericus II. qui ſub *pœna exilii* ſubſcriptionem ſuis interdixit, *importari* librum in ſuas *terras* prohibuit, eumque à ſorore acceptum, quanquam auro & gemmis exornatus eſſet, in *ignem* conjecit.

Articulus I.

A Iohanne Calvino *ad Synodum Dordracenam.*

I. Et ſane, incredibile dictu quantum mali & *diſcordiæ* hic *concordiæ* liber Eccleſiis attulerit. Inde enim *Schiſma* illud inter Euangelicos, qui propterea *in Lutheranos* & *Calvinianos*, in *Flacianos* & *Philippiſtas*, in illos qui *invariatam* confeſſionem & qui à Philippo *emendatam* ſequerentur, diſtracti ſunt. Inde ſpes facta *Papiſtis* utroſque, inter ſe *colliſos* ac *exacerbatos*, per *partes* opprimendi. Quippe cum *Lutherani* clamarent: illos, qui *Capernaiticam* Chriſti Corporis in S. Cœna manducationem, & monſtroſum *Vbiquitatis* dogma non approbarent, *non eſſe Auguſtanæ*

Confeſ-

Confessionis socios, adeoque *non comprehendi pace Religionis publica*, statim illis assensi sunt *Pontificii*, & Imperio proscribi ac expelli volebant illos, quos novo nomine CALVINIANOS & ZWINGLIANOS ad majorem invidiam appellabant, nihil intelligentes, sed ex corrupto judicio, & pecunia, ira, ignorantia depravati, omnia agentes, præsertim Wurtenburgici & Saxonici, cæteris cæco & temulento impetu sequentibus potius quam probantibus. Horum tum temporis Caput erat FRIDERICUS III. Elector Palatinus, qui in Conciliis Augustanis A. cIↃ IↃ LXVI. à *Commendono* Pontificis legato accusatus fuit, *tanquam Religionis alterius quam Augustanæ*, ac qui *pace ejus frui non posset*. Sed pius *Elector*, Joh. Casimiro filio SACRA BIBLIA portante, *paratum* se dixit *Religionis suæ rationem* ex VERBO DEI reddere, ac provocavit: *si secum de ea disputare in publico Principum consessu vellet.* Unde detecta *fraude* Papistarum, *Augustus* Saxoniæ Elector eum pro *membro* & Socio Augustanæ Confessionis agnovit, suaviter humeros ejus, ut mos Germanis tangens ac dicens: *Fritz, Fritz, du bist frommer denn wir alle.*

II. Sicut in Germania *stylo* & Pastorum intestinis odiis: ita in *Belgio* & *Gallia* atrox bellum *gladio* & exercitibus ob *Religionem* gerebatur, tantumque ibi *sanguinis* fusum, ut *rivos* & *fluvios* eo fluxisse

dici

dici possit. Plena sunt piorum *mortibus* pro *fide* Euangelica certatim occumbentium Martyrologia, pleni *præliis* & *urbium* excidiis annales. Cum vero parum *Papistæ* proficerent illa atrocitate, Anno cIɔ Iɔ LXI. sub *Francisco* II. Colloquium *Possiaci* institutum fuit, in quo de controversiis *tollendis* vel *componendis* actum fuit. Ex parte *Euangelicorum* præcipuas partes sustinuerunt, Th. *Beza* & Petrus *Martyr*. Pro Pontificiis verba fecit Cardinalis *Lotharingius*. BEZA initio collationis rationem fidei reddidit, tanta eloquentia & Spiritus Sancti per scripturas in eo loquentis vehementia, ut Cardinalis; homo cætera impius, exclamarit: *Vtinam Beza aut mutus esset aut nos surdi!* Disputatum imprimis de *præsentia corporis* & *sanguinis* Christi in S. Cœna, de *Ecclesia* aliisque capitibus, & tandem re *infecta* ac *majoribus* utrimque *odiis* discessum. Imprimis Cardinalis Ecclesias *Germanicas* & *Gallicas* committere volebat, & in eum finem voluit, ut *Augustanæ Confessioni nomina sua subscriberent*, ipse pro Lotharingica domo, per illa diffidia Religionis inter Protestantes, jam tum affectans deficientis Valesiæ stirpis, quæ apparens erat, exclusa Borbonia Navarrea, Hispano clam obstetricante, Guisianam successionem, ut post XXVIII. annos apparuit. Sed *Beza* dolo animadverso, vicissim quæsivit *an ipse*

& reli-

& reliqui Præsules quoque subscribere vellent illi confessioni. Ad quæ Cardinalis *conticuit.* Post hoc colloquium horrendæ *cædes*, per universam *Galliam*, Protestantium factæ: Sed omnem atrocitatem superavit LANIENA Parisiensis Anno cIↃ IↃ LXXII. ipsa die *Bartholomæi.* Ad hanc cædem peragendam, institutæ fuerunt *nuptiæ* inter *Margaretham* Regis Caroli IX. sororem & *Henricum* Navarræ Regem. Initium tumultus & cædis in persona COLIGNII *Admiralis* factum. Eo *atrociter* trucidato, jussu, permissione & approbatione Caroli IX. promiscue per populosissimam urbem sævitum, ut *rivi sanguinis* per urbem fluerent. Exemplum ad omnes regni *Provincias* ac *Civitates* transiit: ut intra paucos dies ad LXX. *hominum millia* omni tormentorum genere fuerint e medio sublata. Hujus infamis lanienæ architecta fuit *Catharina* de Medicis, *Regis* mater: præcipuum *instrumentum*, Franciscus Dux *Guisius*, & *Henricus* Dux Andegavensium. *Carolus* IX. biennio post, inter horrendos *terrores* animi, corporisque *dolores* cum per XIV. dies *nil nisi sanguinem è corpore suo vidisset* fluere, anno ætatis XXIV. extinctus fuit. Propter hanc lanienam *Gregorius* XIII. Romæ solemnem triumphum & supplicationem instituit, laudantibus nefarium factum oratoribus, quos inter, indignus imposterum eruditi nomine, adu-

lator,

lator, & horrendarum nuptiarum ſanguine innocentiſſimo celebratarum laudator, miſer criticus & corruptor librorum, M. Ant. *Muretus*, cujus flagitioſa inter cæteras oratio extat, abominabilem illam & Deo hominibuſque deteſtabilem, pluſquam Diocletianam lanienam laudans.

III. Non eum tamen ſucceſſum habuit hæc laniena, quem ſperaverant *Papiſtæ*. Rex *Navarræ* ſponſus, & alii, metu mortis defecere quidem: cætererum Deus alios cauſſæ ſuæ vindices excitavit, ac ipſe SANGUIS MARTYRUM, tam ubertim paulo ante fuſus, *ſemen* erat *Eccleſiæ*. Magna inde bella inter *Papiſtas* & *Hugonotas* geſta: donec tandem *Sacra Liga*, à Diabolo & Papa ac Inquiſitione Hiſpanica inventa, Hiſpanis obſtetricantibus *caput* extulit, cujus præcipuus finis erat; *Henricum* Navarræ Regem à *ſucceſſione* in regnum *Galliæ* excludere, idque ad *Guiſios* vel *Hiſpanos* transferre. Interfectus à *Iacobo* Clemente Monacho Rex *Henricus* III. A. CIƆ IƆ LXXXIX. *Henricus* Navarrus ipſi, nequicquam frementibus *Papa* & Sancta, id eſt, maledicta Liga, ſucceſſit, ac felici armorum ſucceſſu uſus, cum à *veritate* Euangelica ad *Papiſmum* defeciſſet, regnum obtinuit, pacemque Eccleſiis *R*eformatis *clementer* indulſit.

IV. Sic *Gallica* Eccleſia triumphavit. In *Belgio* non minores *lanienæ*. Initium Reforma-

formationis ibi à *tumultuante* plebe factum, quæ *imagines* passim abjecit ac in *cœtus* coivit. Hinc atrox *persecutio* & multa hominum millia *obtruncata*. Instituta *inquisitio*, institutus *sanguinis* Senatus, *Bloed Raadt* Belgis, in quo *Vargas*, Hispanus quovis asino rudior, & dormitans fœtidusque Tyranni Albani assecla, nullo humano sensu ac ne Latino quidem, egregius Inquisitor fidei, hanc sententiam tulit: *Heretici* fraxerunt templa *boni* nihil faxerunt contra; ergo debent OMNES PATIBULARI. Quibus autem vicissitudinibus jactatæ fuerint Provinciæ, quantum *civilis* sanguinis fusum, antequam *Papatus* profligaretur penitus, Historiæ patriæ, cuivis notissimæ, satis declarant.

V. Sic post tot furores ac bella, paulatim respirare *Ecclesiæ* & *amata pace* florere cœperunt. *Gallia*, *Belgium*, *Germania*, *Dania*, *Norwegia*, *Suecia*, *Hungaria*, *Polonia* & aliæ quædam regiones barbaræ ac Deo hactenus immorigeræ Religionis libertatem nactæ, contra Pontif. Rom. Tyrannidem triumphabant. Moleste id tulerunt *Papistæ*, imprimis *Iesuitæ*. Hinc Consilia denuo *Cruenta* agitata ac ad *arma* itum.

VI. De quibus antequam agamus, agendum de novo *Schismate*, quod Ecclesias Belgicas *graviter* concussit. Ubi primo com-

commemorandum, quod A. cIↄ Iↄ LXXVIII. *Iustus* Velsius *Hagâ* Batavus, Vir imprimis doctus, in delirium lapsus, dixerit, se *à Deo missum, ut populum ab interitu liberaret & doctrinam suam miraculis confirmaret.* Cæcos & claudos in integrum cum restituere vellet, neque tamen posset, *incredulitati* eorum caussam ascribebat. Dicebat: *Sp. S. per os suum loqui.* Cumque Ordines Hollandiæ turbas metuerent, eum Leidâ deportandum curarunt. Cum *Reformatio* per fœderatas Provincias suscepta & feliciter peracta fuisset, *nonnulli* pastores, qui deserto Papismo, sed *fermento ejus nondum plane expurgati*, in illa *Pastorum inopia* ad ministerium admoti fuerant, pacem Ecclesiarum *perturbare* cœperunt, *Casparus* Coolhasius Leidæ, *Hermannus* Herbertus Dordraci & Goudæ, ac *Cornelius* Wiggerus Hornæ. Præcipua capita, in quibus dissentiebant à communi Ecclesiarum sententia erant de *Prædestinatione*, *vocatione* hominum ad salutem, & quæ hinc *dependent* dogmatibus: præterea confessionis *Belgicæ*, & Catechismi *Heidelbergensis*, sive Palatinæ, formam in controversiam vocabant. Sed horum audacia mox repressa fuit. Interim Sociniani, *Christophorus Ostorodius*, *Andreas Voidovius* Hagam citati. Ordines Generales audito judicio Facultatis Theologicæ Leidensis, quæ Socinianam doctrinam Turcicæ concor-

dem

dem judicabat, libros illos cremari, & Ostorodium ac Voidovium finibus excedere jusserant. Ausi tamen nebulones illi decreto Ordinum Apologiam opponere & illud tanquam injustum, cum contemtu rejicere. Et horum librorum (nam ab eo tempore clam importari cœperunt & Conrado Vorstio, Jac. Arminio, aliisque clandestinis asseclis distribui) emissarii in Belgium se *clam* insinuarunt A. cIↄ Iↄ XCVII. cum magna *librorum* suæ sectæ *copia*, ex quorum lectione novaturientium ingenia ea hauserunt, quæ mox turbandis Ecclesiis contra Reformatam Relig. in *pulpita* & *cathedras* protruserunt, ignari plane homines rerum antiquæ Ecclesiæ & publicæ pacis perturbatores, ipsam exitu suo malitiam prodentes, cum *destruere* omnia, ipsi vero inter se discordes *construere* nihil nisi *fœdum*, *impium* & *damnatum* quatuor Conciliis Oecumenicis possent.

VII. Quippe, post horum irritos conatus rem majori ausu & molimine aggressus est *Iacobus* Arminius Veteraquinas Batavus, Ecclesiæ Amstelodamensis Pastor, Vir ingenii quidem excitatioris, verum, cui nihil *arrideret* nisi quod aliqua *novitatis* specie se commendaret, qui veterem *Massiliensium* & *Syracusanorum* causam nonnihil interpolatam cum sequacibus hodie reassumsit, *D. Paræo* testante. Adeo ut

ut pleraque in Reformatis Ecclesiis recepta dogmata, vel hoc ipso nomine, quod *essent recepta*, *fastidire* videretur. Unde clam palàmque suggillabat Præstantissimos Ecclesiæ Reformatæ Doctores, inprimis Joh. *Calvinum, Bezam, Zanchium, Martyrem* aliosque, ac dogmata Pelagianismo affinia inter suos clam propagabat.

VIII. Præcipuus sectatorum ipsius erat Joh. *Wtenbogardus* magni nominis *Concionator*, sed literarum humaniorum fere rudis, cujus imprimis *authoritate* ac *instantia* commoti penes quos potestas, *Arminium* in defuncti F. Junii locum ad Professionem Theologicam evocarunt. *Opposuerunt* se huic vocationi *acriter* tum Ecclesiarum *deputati*, ostendentes *periculum contentionum* & *Schismatis* in Ecclesia: tum ipsum *Presbyterium* Amstelodamense in *dimissionem* Arminii *consentire nolebat*, hanc potissimum ob causam, quod existimarent *prudentiores*, ingenium tantopere *luxurians* ac *novaturiens*, evidentiori cum periculo in *Academia*, in qua *juventus* Ministerio Ecclesiarum consecrata instituitur, majorque *docendi libertas* usurpari solet, quam in *Ecclesia* aliqua *particulari*, in qua Presbyterii *vigilantia* atque *authoritate* intra *limites* coërceri posset, esse versaturum.

IX. Sed *salutare* hoc Consilium *Wtenbogardus* evertit ac *vocationem* Arminii

impe-

impetravit, cum quidem is *Pelagianiſmum* coram *Curatoribus* & Synodi *deputatis* rejeciſſet ac promiſiſſet: *nihil ſe quod à recepta Eccleſiarum doctrina diſcreparet*, docturum. Sed mox *fidem fefellit*, ac Doctrinam Eccl. Reformatarum receptam *publice privatimque* ſugillare, *Ieſuitarum, Socinianorum* aliorumque *hoſtium fidei noſtræ argumentis* & *exceptionibus* uti: de Reformatis doctoribus *contemtim* loqui, extollere *Caſtalionem*, *Cornhertium*, *Suarezium*. Ac gloriabatur inter *ſuos*: ſe *novam plane* habere *Theologiam*. Diſcipuli quoque ejus *domum* aut ad alias Academias delati, *diſputando*, *contradicendo*, & doctrinam acceptam vellicando, proterve Eccleſiis Reformatis *inſultabant*.

X. Sic lamentabile *ſchiſma* Eccleſias Belgicas *divulſit*. Nam, qui *Arminii* novitates ſectabantur, *Arminiani*: qui vero receptæ adhærebant à Reformatis doctrinæ, *Gomariſtæ* dicebantur, à *Franciſco* Gomaro Theologiæ in Acad. quoque Leidenſi Profeſſore & Arminii collega, qui ſe novitatibus his *acerrimè* opponebat ex piiſſima juſtiſſimaque cauſſa. Creſcebant interim *diſſidia* ac inexplicabilibus malis involvebantur Eccleſiæ.

XI. Quippe *Arminius* in omnes occaſiones & *media* intentus erat, quibus *novam* ſuam *ſectam* ſtabilire ac *ſchiſma* alere poſſet. Unde *rogatus* à Paſtoribus, ab Eccleſia

clesia etiam Leidensi, cujus membrum erat: ut, *si quid in recepta doctrina improbaret*, expromeret, ac de illis capitibus *amicam* collationem institueret; varia prætexens, *abnuit*. Sectatores ipsius *Pastores*, Confessioni *Belgicæ* ac *Catechesi* subscribere *nolebant*. Maximo autem studio & conatu *refugiebant Synodos*, imprimis *Nationalem*, quam *differre* vel *enervare* saltem *miris* artibus conabantur.

XII. Nihil nunc dicam quot habiti fuerint *conventus*, quod *deliberationes* susceptæ ad infelix hoc dissidium componendum, quæ omnia irrita fuerunt, donec tandem Arminius A. clↄ Iↄc ix. diem obiit. Cujus morte tantum abest ut mala *cessarint*, ut potius in immensum *aucta* fuerint, ac non Ecclesias modo, verum insuper ipsam *Rempublicam* in manifestum discrimen conjecerint. Duo erant pro quibus Arminiani impense laborabant: Primo quidem, *ut in locum* demortui *Arminii* Conradus Vorstius Socinianismi abjurator dudum & instaurator, ut ipso facto apparuit, vocaretur: deinde ut *Synodum* Nationalem impedirent.

XIII. Ac *Conradum* quidem Vorstium quod spectat, erat is Professor Theol. in Schola illustri Comitum Benthemiorum *Stenfordensi*, homo jam à multis annis non suspectus modo *Socinianismi*, sed *manifestus*, quippe qui recens librum ediderat

De Deo, in quo afferebat: *Deum esse corpus, quantum, magnum, finitum, compositum ex essentia & accidente, mutabilem voluntate, passivæ potentiæ obnoxium; & alia* dogmatum *portenta* jam ante multa sæcula in Synodis Oecumenicis quatuor condemnata. Talis nimirum dignus videbatur *Arminio* successor, qui cœptam *novitatum* telam *pertexeret*. Displicuit viri tantis opinionum *monstris* infecti, vocatio non tantum Academiæ *Heidelbergensi*: verum, *Dordracenus* quoque & *Amstelodamensis* urbis amplissimus Magistratus, ostendebant *incommoda* & *mala*, ex ejus *vocatione* ad Ecclesiam & Academiam, toto Orbe Reformato primam, *Lugduno*-Batavam, unde tela Orthodoxiæ ex pharetra scripturarum & omnis antiquitatis Ecclesiasticæ pariter & humanitatis linguarumque depromuntur, redundatura. Nihilominus præ valuit factio *Wtenbogardi*, & vocatus ad Professionem Theologicam C. *Vorstius* comparuit, eamque *infinito* cum detrimento Ecclesiarum obtinuisset, nisi ipse *Iacobus* Magnæ Britanniæ Rex non modo per *Legatum* suum intercessisset, verum etiam *fœderi cum Ordinibus se renunciaturum* minatus fuisset, nisi dimitterent *hæreticum hominem*: cujus etiam scripta *igne exussit*, ut *atheismo* & *blasphemiis* referta. Ita professione depulsus Vorstius, *Goudam* se recepit interea dum Synodus deliberatur ac habetur.

XIV. *Ar-*

XIV. *Arminiani*, ut Synodi Nationalis vim eluderent A. cIↄ Iↄ cx. libellum supplicem nomine *Remonstrantiæ* exhibuerunt Ordinibus *Hollandiæ*, in quo sententiam suam, supra *quinque* famosis illis ut jactabant (plures enim pectore ambiguo recondebant, ut postea apparuit) articulis (ad tot capita revocaverant omnes controversias) exponebant, simulque petebant, ut *ab Ordinibus adversus omnes Ecclesiarum censuras in patrocinium ac tutelam* reciperentur. Huic Remonstrantiæ *Reformati* opposuerunt *Contra-Remonstrantiam:* unde nomina *Remonstrantium* & *Contra-Remonstrantium* fluxerunt, quæ in *Arminianorum* & *Gomaristarum* locum surrogata fuerunt.

XV. Inter hos magnis contentionibus & animorum *exacerbatione* controversiæ agitabantur; *Contra-Remonstrantibus* Synodum Nationalem, tanquam *ultimam salutis anchoram*, poscentibus; *Remonstrantibus* eandem, tanquam *causæ suæ inimicam*, quovis modo impedientibus, ac *mutuam tolerantium* unicum *concordiæ* remedium esse dictitantibus. Anno cIↄ Iↄ cxI. habita fuit celebris illa *Collatio Hagiensis* super *quinque* controversis & prætensis falsis articulis, sed *nullo* cum successu. Jamque indies *confidentiores* redditi Remonstrantes, non modo *passim* publice pro *suggestu* virulentissimis concionibus *horrendum* in

modum doctrinam *Ecclesiarum Reformatarum* proscindebant, verum etiam Pastores *Reformatos* iis in locis ubi *numero* vel *authoritate* prævalebant, *ejicere*, ac variis *probris* & *injuriis* afficere ac *opprimere* cœperunt. Unde *misera* & *deploranda* Ecclesiarum ac Reipublicæ facies.

XVI. Non referam nunc sigillatim quæ passim per *Hollandiam* maxime *Leidæ*, *Alcmariæ*, *Roterodami*, *Hagæ*; per *Geldriam*, *Neomagi*, *Bommeliæ*, *Tielæ*; per Transisulaniam *Campis*, turbæ & seditiones exarserunt. Tentata varia, sed incassum: persistebant enim *Remonstrantes* in sua *tolerantia* quinque articulorum, quorum *prætextu* multos alios *errores* introducere *paulatim* possent, eosque passim per Ecclesias *introducebant*.

XVII. Tandem, cum *navis* Ecclesiæ & Reipublicæ his contentionum fluctibus non jam *quassaretur*, sed *fatisceret* ac *pessum* iret, MAURITIUS Auriacus jussu & authoritate Ordinum *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Gelriæ*, *Frisiæ*, *Groningæ* & *Omlandiæ*, NATIONALEM *Synodum*, toties hactenus à *Remonstrantibus* impeditam, impetravit. Quod antequam fieret, nihil non tentarunt *Remonstrantes*, imprimis persuadere conantes, *ejusmodi Synodum Majestati & libertati Provinciarum adversari. Unamquamque enim Provinciam habere jus de Religione statuendi prout ipsi visum esset. Indignum*

dignum esse aliarum Provinciarum judicio libertatem hanc subjicere. Ius hoc Majestatis omnibus modis, etiam armis, tutandum. His vocibus impulsæ nonnullæ civitates, ubi Remonstrantium factio prævalebat, militem conscripserunt, qui nec *Ordinibus* nec Principi *Mauritio* obnoxius esset. Sic ingens belli *Civilis* procella imminebat, nisi Deus consilia illa mature dissipasset. Eo magis Ordines Generales Nationalem Synodum festinandam judicarunt.

XVIII. Tum Remonstrantes primo quidem *Provinciali* Synodo, deinde *Oecumenica*, quam noverant illo rerum statu dari non posse, & per ludibrium obganniebant, controversias suas dijudicandas offerebant, id perpetuo agentes: ut *Nationalem* vel *impedirent* vel *enervarent* vel *differrent*, sed frustra omnia. Indicta fuit *Nationalis Synodus* DORDRACI, prima Hollandiæ urbe, ad Kal. Novembris Anno CIↃ IↃ CXVIII. cum expressa declaratione: *nihil Majestati, juribus & libertati ullius Provinciæ detractum aut de* ALIIS *quam* ECCLESIASTICIS *controversiis actum iri.* Evocati Theologi non modo ex fœderatis Provinciis, verum etiam ex *Britannia, Palatinatu, Brandenburgo, Hassia, Wetteravia, Helvetia, Geneva, Brema, Embda,* aliisque compluribus.

XIX. Sic DORDRACENA Synodus NATIONALIS cœpit, ac *feliciter* absoluta fuit

Sessionibus CLIV. *qualem* quidem *Ecclesia Christiana à multis retro seculis viderat nullam.* Condemnati *errores* quinque Articulorum : *approbata* & *confirmata* confessio *Belgica* ac Catechesis *Palatina* ; versio *Bibliorum* nova decreta : denique, *quicquid* hactenus *turbarum* afflixerat Eccles. Belgicam, *sopitum* & *sublatum* fuit. Arminiani tamen magis magisque ad *Socinianos* declinarunt, & quanquam verbis videantur eorum errores rejicere, valde tamen de ipsorum sensu dubitabatur tum temporis, quia *Vorstii* omnia aut *excusant* aut *defendunt*, imprimis quæ de *attributis* Dei scripsit. Quia *plures filiationis modos* statuunt. Quia *ardorationis* Sp.S. nec *mandatum* nec *exemplum* dari dicunt. Quia dicunt *totam Trinitatis doctrinam tantum in Theoria consistere*, nullum in *Praxi* usum habere. Quia Socinianis nolunt *anathema* dicere. Unde vel *consensus*, vel *occultæ* cum iis *collusionis* suspecti redduntur, & hodierna tempora manifestarunt.

ARTICULUS III.

A Synodo Dordracena ad Annum præsentem cIↄ Iↄ CLXVI.

1. INterea Annum *Iubilæum* celebrarunt *Protestantes* in Germania A. cIↄ Iↄ CXVII. Mox turbari *Bohemia* propter Religionem, illudque incendium primo *Palatinatum*, dein

dein universam, quam late patet, *Germaniam* corripere cœpit. Quis omnes illas, quas Ecclesia Reformata per totos triginta annos accepit, calamitates, absque lacrimis recensere possit? Sed ordiamur tamen à *Bohemicæ* Ecclesiæ non *persecutione* modo, verum *eversione* & *destructione totali.*

II. Causa omnium illorum malorum imprimis ex *Iesuitarum* consiliis ac conspirationibus fluxit: quos in perniciem Germaniæ & totius Christianismi Satanas produxit. Qui, nacti instrumentum furori suo idoneum *Ferdinandum* Austriæ Archiducem, Regem, inde *Bohemiæ* & Germaniæ Imperatorem, decreverunt *iterum bello* post Carolum V. contra Ecclesias Reformatas sive Euangelicas experiri, easque *penitus exscindere*. Initium à Bohemia factum. In ea sub RUDOLPHO II. A. cIↄ Iↄ c ix. Euangelici *plenam* nacti erant *libertatem* Religionis suæ, quam pius Imp. literis MAJESTATICIS confirmaverat, ac *futuros Reges successores suos* ad hæc *sancte observanda* obstrinxerat. Creati quoque ejus consensu ab ordinibus *Libertatis* hujus DEFENSORES, ac inter Ordines sub UTRAQUE & sub UNA, de mutua pace, amice transactum fuit.

III. Hujus *Libertatis* concedendæ occasio fuit, quod *Hungari* cum *Austriacis* & *Moravis* à *Rudolpho* desciscentes, fratrem ipsius *Matthiam*, Regem, Ducem, Mar-

chionem creassent, ac cum exercitu Pragam usque progressi, Rudolphum in ordinem redegissent. Cumque *Bohemi* in fide ejus perstitissent, facile illam Religionis libertatem à Rudolpho impetrarunt. Et majora adhuc moliebatur Imperator, regnum nimirum transferre in *Leopoldum* Episcopum Passaviensem Ferdinandi fratrem: ac ORDINEM PACIS pro *conscientiarum libertate* instituere, nisi consilia illa Bohemicæ Ecclesiæ, quin imo toti Germaniæ, salutaria dissipasset *Matthias*, & *Rudolphi* mors mox insecuta fuisset.

IV. Sub *Matthia* cœptæ in Bohemia turbæ, sub *Ferdinando* ad arma utrimque ventum. Conquerebantur Bohemi *violari indies magis magisque* privilegia sua, imprimis *illam* à RUDOLPHO Cæsare indultam Religionis libertatem. Ergo, contra Ferdinandum Regem, sibi creant Fridericum Electorem Palatinum. A. cIɔ Iɔ xx. Mox superatus ab exercitu Ligistico ipse quidem *Fridericus* regnum & avitas ditiones, *Bohemi* vera una cum *libertate* Religionem amiserunt Orthodoxam, & sub regnum Satanæ concesserunt.

X. Quibus vero artibus eam in Bohemia extinxerint, cognoscere operæ pretium est. Alio enim *modo*, quam olim in *Anglia*, *Belgio*, *Gallia*, rem aggressi sunt. Quippe, cum reipsa deprehendissent, *fortiores* illas *purgationes* sanguinis innocentis, effu-

effusiones Cainiticas, (ejus enim homicidæ sunt soboles) vivicomburia Hussitica & Hieronymiana, præcipitationes in fodinas Cutenbergenses, parum hactenus profuisse: tentare voluerunt, utrum commoda *diæta* (sic loquebantur contemtim, cum uxoribus maritos, parentes liberis, bona singulis eriperent & miseram vitam postea superpondii loco, nullo juris processu, sed per impios cruentosque milites, spoliatis, longoque & tetro carcere maceratis vel adimerent vel in exilium, quod *diætam* vocabant, expellerent) Bohemiam & Palatinatum curare possent. *Hæreticos* igitur statuerunt *non esse mortibus afficiendos*, quibus illi tanquam *martyriis* exultarent, sed aliis viis *fatigandos* & ad *obedientiam* reducendos. Proinde & *odiosum* illud INQUISITIONIS nomen in mollius REFORMATIONIS commutandum. Primo igitur *Anabaptistas* proscripserunt: inde *Euangelicos* variis artibus aggressi, sensim eos, tum nimiis *exactionibus*, tum *oppressionibus*, *promissis*, *minis*, etiam *tormentis*, *carcere*, partim ad *apostasiam*, partim ad *fugam* impulerunt: iisque mediis universam *Bohemiam*, *Moraviam* ac *Austriam* Pontifici Romano iterum subjecerunt, imitati omnes Juliani Apostatæ artes.

VI. Nunquam res *Euangelicorum* in majori positæ erant discrimine, quam post illam Bohemiorum calamitatem. *Iesuitæ*

enim, jam quasi *parta* de *Vniversa Germania*, imo omnibus *Euangelicis*, victoria, insolenter triumphabant, ac nil nisi cædem Protestantium spirabant, quodam flagitiosissimo *Grammatico*, & ob scelera *Altorfi* Noricorum commissa, *Gaspare* Schoppio, ex Palatinatu superiore Neagora oriundo, sed indigno, qui tam præstanti nationi apud posteros accenseatur, (sive, ut se appellari Italice malebat, *Scioppio*) in apostasiam prolapso, classicum canente & *totale excidium* Protestantium promittente, ac suadente, qui tamen nihil nisi *miserabilis* literator fuit, ut opera ejus *inepta* & *maligna* ostendunt, ac extrema senecta, scriptis Patavio, ubi præ *Iesuitarum*, vitæ ejus insidiantium, metu delitescebat, *Leidam* literis, transitionem iterum ad Euangelicos offerebat, si in gratiam reciperetur, sed rejectus *Apostata* contemtusque ob *vanitatem fuit*. Translatum ex Bohemia in *Palatinatum* bellum, qui totus in potestatem Cæsaris redactus, jugo Pontificio colla subdere jussus est. Secuta universalis *gentium* ac *populorum* defectio, & *pauci* omnino *exilium* pati quam *veritatem* semel agnitam negare maluerunt.

VII. Sic cum CALVINIANOS, ut vocabantur *Reformati*, satis jam in ordinem redegissent, LUTHERANI quoque hactenus vel *otiosi* calamitatum nostrarum *spectatores* vel etiam (tanta *cæcitas* eos invaserat

ac

ac *securitas*) Cæsareanæ *persecutionis* satellites, ad partes vocati. Proposuerat sibi Cæsar *universam* GERMANIAM ad Domus *Austriacæ* obedientiam reducere. Hinc ingens illud bellum: hinc plus sanguinis fusum quam aquas *Danubius*, *Rhenus* & *Albis* volvit: hinc *innumerabilis* hominum multitudo internecioni data: hinc miserrima florentissimarum Provinciarum *vastitas*: & intra unum MAGDEBURGUM Tillius *triginta* hominum millia & amplius obtruncata in Albim conjecit, ipsamque urbem *vetustissimam* & *amplissimam* funditus evertit. Hoc primum trophæum fuit, quo reliquæ civitates, præsertim *Noriberga*, *Augusta*, *Ulma*, *Ratispona* & aliæ admonerentur, quid in secreto Consilio de *propaganda fide* conclusum esset.

VIII. Cum jam desperata viderentur omnia, suscitavit Deus ab *Aquilone*, Religionis felicissimum & fortissimum vindicem GUSTAVUM ADOLPHUM *Suecorum* Regem, qui, velut *fulmen* quoddam, ab ultimo septentrione admirabili celeritate universam, victoriis suis, Germaniam pervasit, ac omnia *Iesuitarum* & homicidarum Papalium consilia, tot annorum *conatus* ac *machinationes*, repente *disjecit* & *irrita* fecit. Duabus victoriis, ad Lipsiam una, & ad Lutzenam altera, ita *Ligistarum* ferociam contudit; ut non modo *Protestantium* superiores evaderent partes: verum ipsi *Pa-*

pistæ de summa rerum periclitarentur. Immensi operis esset omnes recensere victorias, quas DEUS & invictum robur *Euangelicis* ab eo tempore indulsit. Itaque contraho vela, & quem eventum omnia hæc bella habuerint, expono.

IX. Postquam *Iesuitarum*, in perniciem Germaniæ à tot annis, instar telæ Arachnes subtiliter contexta consilia omnia infelicem haberent successum, *Cæsar*, ne dum *aliena appetit*, sua *amitteret*, pacis ineundæ cum Protestantibus *deliberationem* suscepit, quæ etiam Monasterii Westphalorum A. cIↃ IↃ XLVIII. inita fuit. Ac tum Libertati Religionis Euangelicæ per Germaniam amplissima hac formula prospectum fuit:

Transactio A. cIↃ IↃ LII. Passavii *inita &* *hanc* A. cIↃ IↃ LV. *secuta* PAX RELIGIONIS: prout ea A. cIↃ IↃ LXVI. *Augustæ Vindelicorum* & *post in diversis Imperii Comitiis* universalibus *confirmata fuit*, RATA habeatur, *sancteque* & *inviolabiliter* servetur. Quicquid vero *in illa pace Religionis* Augustanæ Confessioni *addictis tribuitur*: id etiam iis, qui inter illos REFORMATI *vocantur*, *competere debet*. Sic finis gravissimo, quod ob *Religionem* & *Libertatem* gestum fuit, bello impositus: sic denuo omnia *Iesuitarum* & aulæ *Romanæ* ac *Hispanicæ* lenta consilia evanuerunt, *Electore* Palatino CAROLO LUDOVICO, studio pacis, supe-

ſuperiorem Palatinatum, avitam poſſeſſionem, utcunque gravis illa eſſet jactura, condonante; reliquis Principibus inter ſe amice, ut fieri poterat, tranſigentibus, ne *exanguis* jam & ultimum trahens ſpiritum Germania, cui tam graves incubabant *Jeſuitæ*, & palam in cathedris Eccleſiarum ac Scholarum *pacem* omnibus diris defigentes, præda fieret vel *Turcæ*, vel cujuſcunque potentioris *exteri*, ac *lingua moribuſque* alieni. Sicut pax Politica tum inter Romanos, Lutheranos & Reformatos coiit, ita non deerant qui Eccleſiaſticam quoque inter has tres ſectas vel duas ſaltem earum privata autoritate molirentur. Ac prius quidem duo fratres *Walenburgii*, Apoſtatæ ex Batavia, copioſis, ineptis & impudentibus ſcriptis agitabant, qui Moguntinum adulantes, inter alia negant *ullam vim conſcientiis Proteſtantium factam aut fieri*, neque *perſecutione* aut *laniena* unquam *oppreſſos*, ſed *paterna* tantum animadverſione ad *caulam Eccleſiæ Romanæ* per ignes & tormenta Inquiſitionis invitari. Nulla unquam major impudentia ne à Juliano quidem Apoſtata aut Porphyrio vel Celſo contra Chriſtianos admiſſa quam illi aulæ Epiſcopalis ardeliones in tanta hiſtoriarum luce auſi fuerunt; quaſi res ipſis eſſet cum inſenſatis aut tanta facinora tempore immemoriali geſta.

Inter Lutheranos & Reformatos jam ante

ante seculum de concordia actum, moderatioribus utrimque consentientibus, qualis in Suecia *Ioh.* Matthiæ Episcopus Streynensis, *Georgius* Calixtus & alii plurimi, maxime Politici. Sed omnis concordiæ hostis Witebergæ & Lipsiæ, Johannem *Hulsemannum*, Andream *Calovium*, Johann. *Botsaccum* Regiomonti, *Dannhanwerum* Argentoratensem & alios crassos turbones excitavit, qui pium opus Ecclesiis ac Politiis salutare, novi Tobiæ & Sanballati disturbarent. Triginta annis *Ioh.* Duræus in hoc opere desudavit, legationibus ad Principes & Respubl. defunctus. Nos Lutheranos moderatos pro fratribus habemus & habemur ab illis: cæteri valeant, abeant.

Susceptum fuit denuo tam salutare Conciliationis opus ab Electore Palatino Brandenburgico, Hassis, & Theologi Rintelenses ac Cassellani suam promtitudinem alacriter obtulerunt consensum plenissimum in articulis fidei omnibus ostendentes & Belgicæ Ecclesiæ idem urgebant. Sed Witebergenses eorumque asseclæ antiquo morte refragabantur malebantque rixas Euangelio damnabiles continuare quam tandem aliquando pacatiora consilia amplecti.

X. Ex *Germania* certamen Religionis atrox & funestum, *Angliam*, *Scotiam* & *Hiberniam* invasit: unde quanta in tribus illis

illis regnis secuta fuerit *rerum* ac *Ecclesiarum* mutatio, quanta indies adhuc metuatur, nemo nostrum ignorat. Unde autem illa dissidia fluxerint, quis ventus tantam in *Ecclesiis* Britannicis tempestatem concitarit, cognoscere operæ pretium est: præsertim cum multi vana ac falsa, partim ob *ignorantiam*, partim *odio* indulgentes ac *partium* studio spargant. Tradam autem tum mihi *visa* ac *agnita* coram, tum ex aliorum, qui fide digni sunt, monumentis prompta.

XI. Supra diximus, *primam* Religionis mutationem sub *Eduardo* VI. factam, qui abolitis *Papatus* in doctrina erroribus, antiquum tamen Ecclesiæ per *Episcopos* regimen ac *Liturgiam* una cum multis inutilibus & superfluis *ceremoniis*, retinuit. Cui cum post *breve* & *cruentum* infelicissimæ inter fœminas *Mariæ* imperium *Elizabetha* successisset, non *ultra* in Reformatione processum, sed omnia ita uti ab *Eduardo* cœpta fuerant, in Ecclesiis relinquebantur, haud admodum reluctante populo; quod *Episcopi* ejus temporis *viri*, essent *pii*, & ipsæ *ceremoniæ* non *admodum* urgerentur. In *Scotia* tamen statim initio Reformationis sublata una cum ceremoniis *Hierarchia*, omniaque ad formam *Genevensis*, id est, primævæ & Apostolicæ Ecclesiæ, composita.

XII. Sed non deerant etiam in *Anglia* quidam

quidam qui optarent *Reformationem* Ecclesiarum ad majorem *sinceritatem* & propius ad *Apostolicam* simplicitatem, promoveri. Hi improbabant *Episcoporum* illam superbam authoritatem & *Hierarchiam*, tanquam *reliquias* Antichristianæ *Tyrannidis*: hi *Liturgiam* Anglicam, tanquam *Missæ* nimis vicinam, carpebant. Præcipui hujus Purioris Reformationis authores erant *Colmannus*, *Bottonus*, *Halinghamus*, *Boltonus* & alii, in quos Regina partim *carcere*, partim *exauthorisatione* animadvertit. Nihilominus multos passim per Angliam sectatores nacti sunt, qui PURITANI dicebantur, quod nomen *omnes illos*, *qui Genevensem* & *Apostolicam* disciplinam, rejecta *Hierarchia* recepta, probabant, complectebatur. Erant igitur *Puritani* in Anglia, qui tum *doctrinam*, tum *gubernationem* Ecclesiarum Reformatarum in *Helvetia*, *Germania*, maxime *Genevensium* à Johanne CALVINO, viro ipsis Apostolis comparando, & quem Deus ultimum instauratorem Euangelii esse voluit, approbabant: Viri, omnino vita *sanctissimi*, doctrina *purissimi*, zelo Religionis *ferventissimi*, & qui nihil nisi regnum DEI & CHRISTI ejus in Ecclesia quærebant: cætera pro rejectaneis habentes & quæ adjiciuntur.

XIII. Quemadmodum vero facile ab uno extremo ad aliud transitus datur, ita tum

tum quoque in *Anglia* multis contigit. Qui cum viderent *multos* in Eccleſia Anglicana *nævos*, multas *ſuperfluas* ac *inutiles* vanas ceremonias, offenſi inſuper creſcente indies *faſtu* Epiſcoporum & *dominatione*, eo proruperunt *nimio* affectu pietatis, ut *Eccleſiam Anglicanam* tanquam *falſam*, *apoſtaticam* & ANTICHRISTIANAM *condemnarent*, atque ab ea *ſeceſſionem* facerent. Hujus *Schiſmatis*, ex quo innumera fluxerunt mala, primus fuit author *Boltonus* quidam: ſed qui *errores* ſuos *publice* revocavit. Ei in ſchiſmate propagando ſucceſſit Robertus *Brownius* Northamtonius, Ludimagiſter, primo *Southwackiæ*, dein Paſtor *Iſlingtoni*, prope Londinum. Hic A. cIↄ Iↄ LXXX. vexiilum *Separatiſmi* erexit, Eccleſia quadam Middelburgi *Zelandiæ* conſtituta, quæ mox inteſtinis diſſenſionibus *colliſa* periit. Ipſe *Brownius* in Angliam reverſus, *errores* ſuos revocavit. De eo inter alia ridicula referunt, quod, cum frequenter *uxorem* ſuam pulſaret, reprehenſus propterea reſponderit: *Se non verberare eam ut uxorem ſuam, verum ut nefariam & maledictam vetulam.*

XIV. Nihilominus ab hoc Roberto *Brown* Celebre BROWNISTARUM nomen fluxit, quo uſque ad noſtra tempora appellati fuerunt illi, qui *ſeceſſiones* ab Eccleſiis *Anglicanis* factas ut *falſas* & *Antichriſtianas* condemnabant. Præcipuum horum

norum dogma fuit: *Quamlibet Ecclesiam particularem, etiam paucarum personarum, habere* plenam & independentem *ab classibus, Synodisque potestatem & jurisdictionem: neque Presbyteria, sed totam Ecclesiam, omnia nimirum ejus & singula membra*, viros *pariter ac* fœminas, *potestatem clavium, jusque* vocandi *ministros* habere.

XV. *Tertius* hujus Anglicani schismatis *Doctor* fuit *Barrovius*, qui instigantibus Episcopis suspensus fuit. *Quartus* fuit quidam *Ihonsonus*, qui *separatam* Ecclesiam Amstelodami instituit; quæ mox in varias *partes* ac *factiones* distracta fuit, adeo ut Jhonsonus etiam *patrem* & *fratrem* suum excommunicaret & ab *utroque* excommunicaretur. *Quintus* author separatistarum *Smithius* fuit, qui Ecclesiam LEIDÆ sive *Lugduni* Batavorum separatam constituit. Sed ea mox unà cum *Doctore* suo collapsa fuit.

XVI. Ita *languentem* & *animam* agentem Separatismum restituit ROBINSONUS *Pastor* Leidensis, *doctissimus* ac *modestissimus* omnium Separatistarum, qui ab *Amesio* & *Parkero* in viam revocatus, *rigidas* Separatistarum opiniones *mitigavit* & *Semi-Separatismum* fundavit. Et hic *Robinsonus* verus author INDEPENDENTIUM hodiernorum & in nova & in veteri Anglia est. De quibus hoc in universum tenendum est: eos in *doctrina* NIHIL vel PARUM, in

nullo

nullo ſaltem articulo *fundamentali* diſcrepare ab aliis Reformatis Eccleſiis: Cæterum majorem *puritatem*, vitæ *ſanctitatem* ac *perfectionem* præ ſe ferunt.

XVII. Hic ſub *Elizabetha* & *Iacobo* Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus fuit, quanquam ſub *hoc* Epiſcopi indies *corruptiores* fierent. Sub *Carolo* omnia in pejus, non *ire*, ſed *ruere*, maxime poſtquam ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem emerſit Guilhelm. LAUD, homo *ambitioſiſſimus*, *turbulentus*, *crudelis*, cujus præcipuum opus erat *novas* introducere, *parum* à Papiſmo deſcrepantes *ceremonias*, perſequi illos qui eis ſe *conformare* nolebant: denique Eccleſiam *Anglicanam*, *Scoticam* & *Hibernicam* miris modis *affligere*, *opprimere* ac *pertubare*.

XVIII. Quare illi qui *Ceremonias* has aliaſque innovationes in doctrina amplecti per *conſcientiam* nolebant (neque enim poterant) magno *numero* in *exteras* regiones metu perſecutionis, maxime in illam *Americæ* partem quæ *Nova* Anglia dicitur, migrarunt. Inter eos præcipuæ authoritatis erat *Ioh. Cottonus* vir *pius* & *doctus*, qui cœptum à Robinſono Independentiſmum circa A. cIↃ IↃ XXXV. in *Nova* Anglia abſolvit. Hujus dogmata amplexus fuit *Thomas* Goodwin, ac magnam Anglorum coloniam in *Novam* Angliam duxit. Quas autem ibi Tragœdias excitarit mulier quædam *Hutchinſonia*, commemorare

morare prolixum esset, neque ad propositum nostrum facit. Sed id præcipue ad rem spectat, qualis circa A. cIↃ IↃ CXXXIV. in Britannia sub Episcopis Ecclesiarum status fuerit. Exponam autem illa ex ipsorum scriptis, confessionibus & Martyriis ac *Iohannis* Bastwicki Πρᾶξις τῶν Ἐπισκόπων (non Apostolorum) sive Apologetico ad Præsu'es Anglicanos.

XIX. Damnatæ *luctu* & *inediâ* familiæ innocentissimorum hominum. Egregiæ *animæ* ob id *solum* mœrebant, quod in publico Religionis dehonestamento *lætari* non poterant. Illi *opibus* & *beneficiis* saginati, qui *Romanæ* Ecclesiæ decus tuebantur, *Hierarchiam* asserebant, *ritus* propugnabant, & quo quis rebus *novandis* intentior, eò præ cæteris *honore* & *gloria* attolli. *Lineæ* vestis neglectus esuritione, *Cerimoniæ* parum elegans cura *vinculis*, altare rusticius *veneratum*, nervis & robore expiatum. Adeoque piis hæc vox contra Episcopos exorta: *Imperatis*, *dominamini*, *agitis*, *rapitis*, *vexatis*, CUNCTA PRO LIBIDINE. *Libertas*, *nomen*, *existimatio* omnium nostrûm, *censuræ* vestræ subjacent. Hic *fortunis* exuitur. Ille cum *sordibus* conflictatur. Alter *inopia* contabescit. Non nemo in *pediculoso* carcere puram animam, & qua *mundus* indignus est, inter *pedores* efflatam Deo reddit. Totæ *familiæ*, nec *ignobiles*, à vobis *mactatæ*, ad pudendam inopiam

inopiam delapſæ ſunt. *Quo tandem in regno immitior domninatio eſt, quam illa Epiſcoporum?* Omnium regnorum duritiem *curiæ* veſtræ acerbitas egreditur. Nec *clementiæ* aut *bonitati* imputandum, quod à *vita* membriſque ſaginatas manus abſtinetis. Optimi & indulgentiſſimi Principis illa bonitas eſt, qui *bibituro* ſanguinem noſtrum *furori* veſtro frenos injicit. Ille ſi *laxaret* habenas, in *lanienam*, in *cruces*, in *ignes*, illa feritas erumperet. Quia *mortis* pœna vobis negata eſt, cruciatum in reos *omni morte* intolerabiliorem editis, *carcerem, ignominiam, inopiam, famem* & in corpore ærumnoſo, devotam diis animam. Conſcientiam veſtram appello, Præſules, *quot diviniſſimorum* hominum *voces* juſſu veſtro exſtinctæ obmutuerint? Scio, quid prætendatis huic facinori, *Turbulentos, factioſos, refractarios* ab Eccleſia remotos fuiſſe. Vetus ſceleri prætextum. At eorum plurimi Eccleſiæ regimen ne *verbo* quidem læſerant. *Pompam* omnem Cerimoniarum in Eccleſiis ſuis paſſi ſunt. *Miniſterium* rite ſuſceptum obierunt decore, vitam egerunt *labe* & dedecore vacuam, & ipſis etiam hoſtibu probandam. Sed id ad perniciem valuit, quod in *propria* perſona *ritibus* nonnullis defungi conſcientiæ imbecillitate prohiberentur. Hinc *iræ*, *minæ*, *carcer*, *exſilium*, velut in piaculares victimas intentata fuere. Hinc *latitantibus*

bus

bus vel *profugus* tralatitiam humanitatem exhibere, fraudi multis fuit, *omnibus* vetitum. Nolite *Ceremoniarum* neglectarum obtentu culpam prætexere. *Probos*, *pios*, & iisdem quibus APOSTOLI mandatis instructos pastores ejicitis. Neque stetit furiosa hæc pœna intra numerum eorum, quos *Ecclesiæ* regimini infestos *fingitis*, sed pervagata fuit in capita omnium eorum, quos *concionandi* diligentes nimium & sedulos putabatis. Hinc uno fere ictu excisi omnes, qui extra ordinem in parochiis prædicandi munus, nomine *lectorum*, sequebantur. Hoc enim inter vos sæpe dictitatum accepimus, *Nimia verbi prædicati ubertate lascivire homines. Amputandam concionum & concionantium luxuriam.* Dictum factum. Ceciderunt passim *laudati* viri, cadentque plures. Transeo articulos novos, aucupium novum, quibus boni viri irretiuntur. Vocat me liber ille *legifragus*, expugnator *quarti* præcepti, impunitate nos pelliciens in crimen, à quo nullis satis pœnis nos *Deus* deterruit. Proh dolor! quanti stetit Ecclesiæ tot fidelissimis pastoribus orbatæ, ob hanc solam culpam, quod *commodare vocem propalando flagitio* vererentur? Scio vos responsuros, *jubere* Regem: ut editus à se liber *ore* ministri prælegatur populo. Videmus in libri fronte *regium* nomen; sed latere fraudem *Episcopalem* non minus su-
spica-

ſpicamur. *Pietas* & *Iuſtitia* Regis nos vetant credere de illo, quod virtutibus his contrarium eſt. Procuſum hoc inductumque ab Epiſcopis commentum, ut externatæ pietati victrix illuderet τῶν βεβήλων caterva, ſimulque introſpecta voluntate fidelium Paſtorum, qui *beneficium* poſt *pietatem* habent, veteribus & bonis expulſis, locus patefieret *novis pravisque*, quibus omnia cum precio honeſta ſunt. Quid enim, ſi hoc non eſt *Euangelio ſpiritum* intercludere? Jam vero cum bipedi indocto, caudici ſericato, vix callenti literas, duo, ſæpe tria forte plura beneficia, velut fortunæ quædam miſſilia adjiciuntur, nihilne detrimenti Euangelium accipit? At bone Deus! quos ille *curiones* in parva beneficia, velut *Proprætores* in Provincias, mittit, quam ſibi ſimiles, quam pares? Non ovum ab ovo indiſcretius. Sic in populis *ignorantia* nutritur: ſic *ſtupor* alitur, ſic in herba *Euangelium ſuffocatur*. Dei mandatum eſt, ut diem *ſeptimum* negotiis noſtris ſubductum, cultui ſuo & venerationi dedicemus. At juſſu veſtro *dies inter Deum hominesque diviſus*, magna ſui parte in luſus *profanos, cantus, tripudia, luctas* diſpertitur. Ita proculcato divino præcepto, obſequium mandatis veſtris per *pœnas* exigitis, pulſis ſede ſua miniſtris, quos *Dei, conſcientiæ Eccleſiæ* diverſum ſtatuentis reverentia, à prælegendo libro retrahebat.

hebat. Responsa *Patrum*, interpretationes *Doctorum*, seculorum *usus*, antiquitatis *consuetudo*, TRADITIONES humanæ sunt. Illa tamen *inspiratis* divinitus Scripturis: illorum authoritatem harum dignitati præponitis. Verba vestra in frequenti *curia* exsultabant. Quasi hoc *vobis dedecori futurum esset*, si sciat populus, quam *parvi apud vos Scriptura* fiat. Hoc palmarium erat· *Nos nec scire, nec noscere Scripturas, nisi Patrum testimonio*. Sane Episcopus *Eliensis* scripturas appellabat *hæreticorum* effugium, & *latibulum* schismaticorum. Quod argumentum nec *spernebat*, *culpabatve* Cantuariensis. Londinensis vero præfabatur *se magnum quid exspectasse in eo libro, cujus authorem tantæ confidentiæ plenum animadverterat*. Ceterum invenisse pro thesauro carbones; NIHIL PRÆTER SCRIPTURAM. Nec dissonabat ab Eliensi vir acer, in Scripturarum Epitheto: *Latebra hæreticorum*. Eliensis me omnibus è trivio maledictis conspuebat, quod *sola* Scripturarum authoritate, *suffragio hæreticorum*, uterer. Illas enim *nisi Patrum interpretamentis & traditione aperiantur, tenebrosas & obscuras esse. Illis ipsum Augustinum crediturum non fuisse, nisi propter Ecclesiam. Illas ab Apocryphis & profanis nisi Patrum judicio, non discerni. Patrum opera nobis Apostolicum Symbolum innotescere. Illorum è luce Scripturis oriri claritatem.*

XX. Pios

XX. Pios homines & Deo devotos mancipatosque Religioni, probroso *Puritanorum* nomine diffamastis. In hos curiarum vestrarum despumant odia & sævitiæ. Horum *conventus* & *preces* exitiali vocabulo *conventiculorum* inussistis. Hos *carcer*, *ignominia*, *paupertas* exedunt. Hos inter privatos sermones *dicteriis*, pro concione *maledictis*, apud regias aures diris *calumniis petitis*, vulneratis, confoditis. Si *pluvia*, si *æstus* nocuit, Puritanus culpatur. Sterilitatis, pestilentiæ nocumenta, invisis horum capitibus adscribuntur. Quicquid Deo peccatis irascente evenerit, *Puritanis* imputatur. Ac ni incomparabili clementia Principem contra crudeles *Hamanum* artes Deus obarmasset, jam dudum velut in piaculares victimas (*scio quod loquor*) laniena sæviretur.

XXI. Post dedecoratas sacras literas in *Calvinum* effervescit intemperies. Illum *Eliensis* hominem impurum, obscuro mundi *angulo* delitescentem, increpabat. *Cantuariensis* vero *turbidum*, & avidum rerum *novarum*, *Episcopis inimicum*, *ut illis dejectis*, *Magistratum fastigio suo facilius evolveret*. Mirabilis erat in hoc negotio universi consessus consensio, *Calvinum Magistratui inimicum fuisse*; *Omnes Calvinianæ sententiæ sectatores Monarchicis Imperiis adversari*. Cæterum Episcopos Presbyteris dignitate præcellere, eandem ab Apo-

ſtolis divino jure inſtitutam, diutina Patrum ſerie probatam, agnitam, honoratam fuiſſe, donec à *Calvino* prætexente ambitioni modeſtiam, primum impeteretur. Quem *Elienſis* etiam virum *nequam, cuncta prioribus ſeculis placita pervertentem*, nominabat.

XXII. *Idem author* ſyllogen habet uſurpationum, quibus Epiſcopi imminuerunt *prærogativam* Regis, contra diſertas regni leges & ſtatuta. *non deterret vos*, inquit, *Edictorum ſeveritas*, Præſules, *à fabricandis conſtitutionibus*, *novis cerimoniis*, *canonibus*, *articulis*, juris-jurandi formulis, quæ *Rege* inconſulto, nullo accepto mandato, typis divulgatis, Eccleſiarumque Gardianis obſervanda exſequendaque committitis, *præſcriptis tantum nominibus & authoritate veſtris*; tanquam *Legiſlatoria* poteſtas ſumma ſit penes veſtrum ordinem. Et paulo poſt: *Hujus aliarumque prohibitionum ejuſdem farinæ curſum prælati prædominantes præcluſerunt, in grave præjudicium coronæ & dignitatis regiæ, nec non contra antiquiſſimam regni noſtri conſuetudinem*. Tamen ſe *Regis* regnique *amicos integerrimos* jactare haud *erubeſcunt*, ipſoſque hac in parte contradicentes *Schiſmaticos*, *conſpiratores*, *Puritanos*, *Novatores*, *regis*, *regni Eccleſiæque hoſtes infeſtiſſimos*, uſque ad ravim paſſim vociferantur. Contra mentem hujus Statuti, Præſules, juriſdi-

jurisdictionem vestram vindicatis, non *quasi derivatam à Rege* & *per Regem*, & *sub Rege* constitutam; sed tanquam *jure divino* vobis datam & concessam: censuris, pœnis, carcere, publicatione bonorum sævientes in Regii juris & Prærogativæ patronos. Imo eo provehimini audaciæ, Præsules, ut laicis jurisdictionem Ecclesiasticam convenire negetis, nisi à Vobismet ipsis in eosdem derivatam. Quo loco profani, perjuri, Idololatræ vel impunitate vel venia gaudent, ibi boni, pii, honesti, contemtam ceremoniam *vestis* vel *lignum* non veneratum, libertatis, bonorum, nominis jactura luunt. Romanorum hostes & oppugnatores, verborum, minarum, carceris, inopiæ, sævitia premitis. Hinc animos despondent boni, spiritus induunt mali, marcescit *Religio*, floret *superstitio*, friget *pietas*, incalescit *Idololatria*. Hinc illa venalium animarum, & beneficia captantium, ad altaria veneratio, illa solemnis ad orientem obversio, illa profunda ad sonum syllabarum Jesu geniculatio. Hos ritus *pœnis* sanxistis: horum cultores *præmiis* beatis. His superstitionis primordiis Idololatriæ, toto mox choragio secuturæ, præluditur.

XXIII. Nonne itaque Prælati illi *Pontificiorum* partes agunt, qui Christicolas *altari genu flectere* instituunt, imo etiam vel *pœnis* adigunt? Qui alias *Papisticas ridiculas-*

diculasque Cerimonias diligentius, quam ipsa *Dei præcepta* & *Euangelii mysteria* inculcant, earumque omissionem vel neglectum (non à contumacia, sed conscientia religiosissimorum progredientem) atrocioribus suppliciis, quam divinæ Legis violationem, atrocissimave scelera vindicant: qui concionatorum fidelissimorum ora, ne *peccati Antichristique regna* labefactarent, passim ad lubitum contra ChristiCanonumque statuta impiissime præcludunt; quique suavissimum Jesu nomen genuflexionibus suis assidue idolizant, supraque Dei *Patris*, *Filii*, *Spiritus Sancti*, *Immanuelis*, *Christi*, *Salvatoris* nomina tremenda multis parasangis evehunt.

XXIV. Hæc ex Πράξει τῶν Ἐπισκόπων Joh. Bastwici. *Laitonus* summatim: *Non legimus*, inquit, *de majori persecutione contra* populum Dei *in ulla natione Euangelium profitente*, quam in hac INSULA in primis post excessum *Elizabethæ*. Summa huc redit. Cum primitus sub *Edoardo* VI, ac iterum sub *Elizabetha*, Papæ primatus, cum falsa doctrina, fuissent regno Britanniæ ejecta, *Episcopatus* sive Hierarchia Papalis, demto tantum capite, cum externo Romanæ Ecclesiæ cultu ac cerimoniis retentus est. Igitur tota externa administratio sacrorum *Papistica* fuit, tota Hierarchia *Papalis*. Quod etiam ex hoc patet: Cum *Papa* excommunicare vellet Elizabetham,

Francis-

Franciscus Walsinghamus callido commento eum circumvenit. Duos Papales exploratores quasi secreto in Angliam traduxit; ubique ostendi iis curat sacra solemnia *Cantuariæ* & *Londini*, in omnibus *Pontificalibus*, cum pompa & processione Prælatica, decantata & lecta. Hinc mirati Papam ejus regni excommunicationem moliri, quod Romano cultui tam addictum esset, Romam revertuntur; quid viderint narrant; *non alia apud Anglos sacra obtinere, quam quæ & Romæ sint.* Sic Bulla revocata, terribile illud fulmen tum evanuit, ut Laiton loquitur, Et satis constat, quod Carletonus Cicestriæ Episcopus in vita Elizabethæ tradit, *Pium* IV. Anglis obtulisse cœnam sub *utraque* specie; & *Liturgiæ* (qua utebantur) *vernaculæ* confirmationem, modo PRIMATUM PAPÆ agnoscerent.

XXV. Ex hac *Hierarchia*, plus damni *Religio* in Anglia accepit, quam *Marianis* temporibus factum. Primo enim *pii*, quibus adversa erat illa Episcoporum pompa, fastus, cruces, cerimoniæ, candidæ, & alia *nugalia*, odioso *Puritanorum* nomine proscissi sunt. Mox, crescente contentione, alia quoque in contemtum nomina conficta; & Prælati illos, qui disciplinam Genevensem sequebantur, *Calvinianos, Presbyterianos*, *disciplinarios*, *omniparios* vocabant: ut ex Laitono & Bastwico patet.

Deinde, cum pii viderent indies magis ac magis superstitiones ac impietatem sub Prælatico regimine crescere, *secessionem* omnino fecerunt, ac patria ob id pulsi, in *schisma* & graviores errores lapsi sunt. Ita ut *Separatismus* sive *Brownismus* non alios habeat authores, quam cum Tyrannide & superstitione *Episcopos* dominantes.

XXVI. Sed quamvis Prælati etiam sub Elizabetha graves essent, cujus ad Reformationem pronum animum variis calumniis intricarunt; dicentes: *Si disciplinam constituat, à quolibet pastore pagano Regiam Majest. excommunicatum iri:* tamen nec sub ea, nec sub Jacobo, ausi sunt Hierarchiam *juris divini* facere. *R. Iacobus* flagrantissimus Episcoporum pater, *non tamen unquam eo adigi potuit, ut Episcopos jus divinum sibi arrogare* permitteret. Itaque hactenus jugum regiæ authoritatis, utcunque frementium ac furentium Prælatorum humeris impositum, mansit; donec sub Carolo Rege ad eam impudentiam prolapsi sunt. Et testatur Bastwicus: *Episcopum Eliensem certare paratum fuisse* Episcopalium Infularum pignore; *cessurumque se beneficio* nisi probasset, authoritatem Episcopalem à jure DIVINO, nec REGI OBNOXIAM esse. Idem *Cantuariensis* adseverabat. Nam *Episcopos Regibus vetustiores* esse.

XXVII. Initio *Iacobi* canones condiderunt,

derunt, & majorem Tyrannidem quam ante exercuerunt. Statim ultra cccc ministri silere jussi, suspensi & ejecti. Conscientiis omnium imposita subscriptio Liturgiæ, articulorum, Ordinationis, Homiliarum: ita nimirum, ut quilibet subscribere cogeretur, *Nihil in illis libris verbo Dei contrarium, sed omnia ei congrua esse.* Tum condiderunt *juramentum ex officio,* quo seipsum *quilibet accusare tenebatur.* Regem omnibus modis ad abolendas conciones impellebant. Cumque aliquando ex Legato Veneto inquireret: *Quibusnam rebus in Italia animas pascerent*; eoque respondente: *Liturgia* & lectione *Homiliarum*, Rex ingemuit; &, O *Miseram* inquiebat, *ejus populi conditionem*! Ad quod Prælatus quidam tum præsens: *Longe utilius fore*, dixit, si plures in Anglia *Homiliæ* & pauciores *conciones* essent. Quo impudenti dicterio Rex commotus & torva tuens, obticuit. Atque hæc ex Anglis ipsis de statu Ecclesiarum Britannicarum circa A. cIↃ IↃ cxxx. compendio referre visum, quæ an omnia ita se habeant, optime qui tum temporis vixerunt & adhuc supersunt, judicare poterunt.

XXVIII. His omnibus subjungere visum fuit, ex concione quadam *Newcomani* Pastoris tum Dedhamensis in Essexia, & membri Synodi, ea quæ sequuntur. Nam is totum *Papismi* reducendi artifi-

cium, quo Episcopi Anglicani utebantur, clare & distincte exposuit.

Nam, cum Prælati viderent *Puritanos* abhorrere à dominatrice Hierarchia, & fastu illo ac pompa, eos *exscindere* penitus aggressi sunt. Modum à Papistis hauserunt, prout eum *Adamus Conzen* Jesuita, in Politica sua, præscripsit. Primo igitur rem tantam *caute*, *lente* ac per *gradus* susceperunt. Sicut *Musici* instrumenta sua ad concordiam redigunt suavi intentione vel remissione chordarum & molli digito; Sicut *Medicus* humores sensim mitigat & exhaurit: sic illi & destruere puritatem Religionis, & impuritatem adstruere, paulatim aggressi sunt. Nam ut *Puritanos* exscinderent, primo omnium conati sunt *Orthodoxos ministros* abolere. Si hoc una *vice* & *semel* fecissent, nimis palpabile *negotium Papatus* fuisset. Ergo igitur initio *suspendebant* omnes concionatores, qui cerimonias non constanter exercebant. Paulo post totum Ordinem velut *superfluum* & in Ecclesia intolerabilem abolent. Hoc facto interdictum Pastoribus, ne *concionarentur per septimanam*, nisi diebus *dominicis*. Tum & die Dominica *pomeridianus* concionum habendarum usus abolitus. Et hoc, quia nimis durum videbatur ac apertum, ideo prætextus obtentui sumtus, quasi ad *Catecheticos profectus promovendos* hoc spectaret. Mox *omnes quoque Catecheticas*

ticas expositiones prohibent, alligantes cunctos ad *nuda Catechismi verba*. Neque heic stetit labor, sed *preces* quoque abolitæ, nisi *conceptis Liturgiæ* verbis fierent. Sic *conciones* ac *preces* sensim abolitæ. Jam Papismum & Impuritanismum iisdem gradibus adstruxerunt. Primo urgentes *plenam & constantem* veterum Cerimoniarum praxin, præter Legum & Canonum intentionem. Hinc introducta novarum superstitionum farrago, quam nec *lex* nec *Canones*, sed nova Episcoporum *Majestas* probabat. Harum observatio ministris & populo injuncta, non simul & semel, sed per gradus ac pausas. Primo *mensa* cancellis inclusa, mox in *altare* erecta. Tum compulsi omnes S. Cœnam recipientes, ante *hoc novum altare, in genua procumbere*. Inde cœptum extolli altis clamoribus velut sanctum sanctorum, locus & sedes Dei omnipotentis; atque ideo *vultus precantium* eo dirigendi erant: idque *necessarium* existimabatur. Post hæc omnia quid restabat, nisi ut sacrificium reducerent? *Ligneum cultum siligineus Deus* sequitur. Ita Papismo via parata, & statim obtinuerunt *Papalia* dogmata, quorum hæc præcipua fuerunt: *Papam non esse Antichristum*, & *Ecclesiam Romanam esse veram visibilem Ecclesiam.* Multum exempla valent ad rudiorum imitationem. Hanc regulam quoque Prælati observarunt. Si quis ex con-

ſcientia non poſſet ſe ſuperſtitionibus polluere, ſtatim ei ingeſtæ voces: *Quid tu hominis es? Dominus Epiſcopus hoc & illud agit; Archiepiſcopus Cantuarienſis hoc agit. Equites periſcelidis nobiliſſimi verſus altare ſe incurvant. Regis ſacellum ita eſt adornatum.* Et quoniam Jeſuitæ docent, *Archihæreticos* proſcribendos, ſi commode fieri queat *ſimul*, ſin minus *ſenſim*: ideo Puritani, primo illi qui ſe *priſcis Cerimoniis in totum non conformabant*, ejecti. Et quoniam remanſit magnus numerus *Conformiſtarum*, ad eos quoque tollendos *inventus liber recreationum diei dominicæ.* Hic liber à miniſtris prælegendus, ut ſi qui eſſent, qui Cerimonias, quanquam gementes, ferre poſſent, ſub hoc intolerabilis impietatis onere conciderent. Quod ſi qui Puritani paulo ampliori conſcientia eſſent, & hunc quoque librum concoquerent, admota *tertia* machina, *novæ Cerimoniæ* & *adorationes. Vltima* & peremtoria machina fuit, & velut pulveraria conjuratio contra omnes *pios Miniſtros*, JURAMENTUM pro *Hierarchia* Prælatorum. Quid heic agerent pii? Si quis *Cerimonias* evaderet, eum liber *ludicrorum* occidebat. Poſt hunc novæ *injunctiones*, tum *proclamationes*, denique *juramentum* erat. Jam omnes dignitates in Eccleſiis & Scholis in eos tantum (paucis exceptis) collatæ, qui Arminianiſmo & Papiſmo infecti. Doctrina *Gra-*

na *Gratiæ, Electionis*, *Iustificationis* per fidem, *perseverantiæ*, plaustris conviciorum onerata. Quicquid rabies Pontificia evomuit, id omne Prælatica factio absorpsit. Hæc Newcomanus ipse, pars magna eorum qui persecutionem passi, & cui status Ecclesiæ illius temporis non poterat ignarus esse.

XXIX. Cum *Laudus* sic satis videretur sibi expurgasse *Veterem* Angliam à *Puritanis*, consilia in *Scotiam* infelici successu transtulit. Diximus supra, *Scotos* sub initia Reformationis amplexos fuisse *disciplinam* & *regimen* Ecclesiæ *Genevensis*, Episcoporum authoritate abrogata. Cæterum illi *Episcopi* non conquieverunt donec sub *Iacobo* primum, mox *Carolo* amissam recuperarent *potestatem, qua insolenter admodum* usi sunt. Tum circa A. cIↃ IↃ c xxvii. *fatalis* quædam *rabies* Laudum invasit, *novas* ceremonias ac *Liturgiam* Semi-papisticam obtrudendi Scotis, eosque cum Ecclesia *Anglica* conformare. Ab hoc *malesano* ausu & *pessimo* consilio omnes illæ *calamitates* fluxerunt, quæ in hunc usque diem Ecclesias *Britannicas* exercent.

XXX. Quippe, *Scoti* molestissime ferentes hanc *Episcoporum* innovandi libidinem, constituerunt sese *iis opponere*, neque *pati* ut *omnia conturbarent in Ecclesia* & *Politia*. Initium tumultus *Edimburgi* factum A. cIↃ IↃ c xxxvii. cum nova *Liturgia* pri-

mum prælegeretur, *Duæ* fœmina. Exemplum mox ad reliquas provincias transiit. Cumque Episcopi, violatam *Majestatem* suam, atrocibus ad Regem *calumniis* delatis, ulcisci conarentur, Scoti post irritas preces arripuerunt *arma*. & Synodo *Glargnensi* celebrata, omnem Episcopatum *penitus* in Scotia abrogarunt.

XXXI. Hujus incendii scintillæ ex *Scotia* in *Angliam* transvolarunt. Itaque cum Rex A. cIɔ Iɔ c XL. *Parlamentum* in *Angliam* convocasset, præcipuum, de quo ageretur, fuit REFORMATIO Ecclesiæ. Primo omnium conjectus fuit in carcerem Guilh. *Laudus* habitus malorum *author* & *artifex*. Deinde *Episcopi* ex *Ordinum* regni numero & *Parlamento* exclusi: inde *superstitiones*, *cerimoniæ* inutiles vel *abrogatæ* vel *mitigatæ* sunt.

XXXII. Inter hæc libertas in licentiam evasit, adeoque sublata Episcoporum authoritate, cum nondum conveniret de novo regimine, multæ sectæ, hæreses, schismata passim exorta sunt. Episcopi quoque Regem ad arma contra Parlamentum sumenda inflammarunt, unde A. cIɔ Iɔ c XLII. atrox & civile in Britannia bellum, cum paulo ante Hiberni Papistæ, inaudita lanienа ultra ducenta Protestantium millia intra paucos menses obtruncassent.

XXXIII. Convocata igitur fuit Londini Synodus ex Anglorum & Scotorum

Theo-

k

Theologis, in qua Reformatio Ecclesiarum tractaretur. Sed sicut Resp. ita Eccl. quoque factionibus divisa erat. Quidam enim & major numerus volebant omnia conformari in Ecclesia, ad normam Ecclesiæ Scoticæ & Genevensis. Hi dicti *Presbyteriani*. Alii contra Independentismum, qualis in nova Anglia erat, etiam in veteri Anglia tolerandum censebant. Hi numero erant septem, & *Independentes* dicti. Hos inter convenire non potuit.

XXXIV. Deliberandum igitur per aliquot annos fuit de *Regimine* Ecclesiæ, cum hi pro *Presbyterianismo*, illi pro *Independentismo* acriter niterentur. Medio temporis quælibet *sectarum* genera hac libertate & quasi interregno abutebantur: ita ut tota *Anglia* illo veneno *pravarum* opinionum *misere* inficeretur. Abrogatum tamen Episcopale regimen in *universum*. LAUD Anno cIↃ IↃ C XLV. extremo supplicio ob crimina, tum contra *Ecclesiam* tum *regnum* commissa, affectus, *incredibili* populi cum lætitia, qui eum summo prosequebantur *odio*. Interea factio *Independentium* superior facta est in Parlamento, quæ, cum victricibus armis universam Angliam debellasset, *Scotiam* cum *Hibernia* sibi subjecit, nobis etiam bellum intulit.

XXXV. Sub Elisabetha & Jacobo hic in universum Ecclesiæ Anglicanæ status fuit. *Episcopi & Puritani* erant. Et hi in

tria

tria genera distincti, si Nobilissimo Domino Brookio credimus, *Conformistas*, *Non-conformistas*, *& Separatistas*. *Conformistæ* erant orthodoxi Theologi, qui contra Arminianos, Socinianos, Pelagianos, Anabaptistas, Papistas pugnabant, & se *filios* Ecclesiæ Anglicanæ profitebantur. Id est, *Cerimonias* antiquas, utcunque *inviti*, tolerabant. Quales magnæ animæ, *Whitakeri*, *Perkinsii*, *Rainoldi*, & alii fuerunt. *Non-conformistæ* se à Cerimoniis quibusdam separabant, sed non omnes ab iisdem. Erant qui admitterent, quas alii rejiciebant. *Separatistæ* in *rigidos Separatistas* sive *Brouwnistas*, *& Semiseparatistas* sive *Robinsanianos* distincti: qui postmodum *Independentes* dici cœperunt, & hodieque sic dicuntur. *Anabaptistarum* illo ævo duo genera. *Quidam* hæretici, *Liberum* Arbitrium, & *Communionem* bonorum asserentes, *Magistratum* & *Pædobaptismum* negantes. Horum in Anglia tum vel *pauci*, vel *nulli*. *Alterum genus* eorum, qui solum Pædobaptismum negant, cætera orthodoxi. Et horum in Anglia magnus numerus. Præterea multi ex plebe licentiam prædicandi sibi afferebant, miseris quibusdam rationibus seducti. Et hi jactabant: *Spiritum ubi velit, stare, nec alligatum Academiis. Itaque internam vocationem cum donis ad tantum munus necessariis, accedente alicujus congregationis desiderio, sufficere:*

Sibi

Sibi quidem abstinere non licitum, nisi veritatem in injustitia detinere, & talentum suum abscondere velint.

XXXVI. Sub Rege Carolo longe alia facies & in regno & in Ecclesia cœpit. Causa Laudus fuit, Cantuariensis infelix Archiepiscopus. Tum temporis Puritani in *veteres* ac *novos* distincti. Nam, cum veteres alii essent *Conformistæ*, alii *Non-conformistæ*; novi ab utrisque in eo discrepabant, quod neutiquam bona conscientia tolerari posse *ullas Cerimonias* existimarent. Atque hi non tantum Episcopis, sed & cæteris piis fratribus in eo adversabantur; & magnam partem A. cIↃ IↃ cxxxiv. in Belgium ac novam Angliam concesserunt.

XXXVII. Origo itaque *Independentium* in Nova Anglia sic se habet. Pars Ecclesiæ Robinsonianæ *Leida* Plymmoutham Nov. Anglicam migravit. Eodem paulo post *Cottonus*, ac alii Non-conformistæ ex Anglia, metu intolerabilis Episcoporum tyrannidis profugi, venerunt. Et hi statim consenserunt in viam Robinsonianam, quæ tum admodum inter exsules illos invaluit. Difficile est non incidere in Scillam, cum Charybdin fugis. Episcoporum horror & terror infinitus erat. Quo longius quid ab illis distabat, eo gratius erat. Placuit igitur Robinsonus; & quanquam *Cottonus* antehac *Separatistis* adver-

adversaretur, tamen *Semiseparatismi* author & fautor esse cœpit circa A. cIɔ Iɔ c xxxv. & ea dogmata singulari facundia & dexteritate interpolare cœpit. Itaque sicut *Robinsonus* prima Independentismi fundamenta jecit; Sic *Cotteno* complementum & ultima debetur manus. Statim literis in Angliam missis novam Ecclesiæ formam deprædicare cœpit; & novum Doctorem amplexus *Thomas Goodwinus*, vir egregie doctus, admiratione Cottoni plures secum in Novam Angliam traxit.

XXXVIII. Sequuntur turbæ quas Independentes quidam Antinomi in Nova Anglia excitarunt.

Quidam *Antinomi* in nova Anglia seduxerunt quosdam, & inter eos mulierem quandam *Hutchinsoniam*, quæ callida, sagax, & contumacis spiritus, prætextu *repetendi* sermones Cottonianos, *Bostoniæ* furores illos, hinc in totam regionem, dispersit. Opiniones præcipuæ hæ erant.

1. *Legem* nullum usum habere in adducendis hominibus ad Christum. 2. *Hominem* esse justificatum & unitum Christo *sine fide*, ab omni æternitate. 3. *Fidem* non esse *instrumentum* recipiendi Christum, sed *discretionem* quod jam receperimus Christum. 4. *Hominem* tantum uniri Christo per opera *Spiritus*, sine ullo actu suo. 5. *Hominem* non ante actualiter Christi esse, quam *fiduciam* habeat. 6. Hanc *fi-*

duciam

duciam tantum esse ex testimonio *Spiritus*. 7. Hoc testimonium Spiritus tantum esse *immediatum*, sine ullo verbo. 8. Qui semel hoc testimonium habet, non ultra *dubitat*. 9. Dubitare de certitudine, etiamsi quis fiat latro vel adulter, indicio est eum nunquam habuisse certitudinem vel fiduciam. 10. *Sanctificatio* non est bonum signum status gratiæ. 11. Nulla consolatio haberi potest ex *conditionalibus* promissis. 12. Pauperes spiritu *Matth.* 5. 3. tantum illi sunt, qui vident se nullam gratiam habere. 13. Si videam me plane non habere gratiam, solatio erit; sed consolationem capere ex sensu gratiæ, *legale* est. 14. Hypocrita potest habere gratiam Adami, quam habuit in statu innocentiæ. 15. Gratia *sanctorum* & *hypocritarum* non differt. 16, Omnes gratiæ in Christo *subjective* sunt, & nullæ in nobis; ita ut Christus *credat*, Christus *amet*. 17. Christus est *nova* creatura. 18. Deus non amat hominem plus propter ullam sanctitatem, nec odio eum magis habet propter ullum flagitium. 19. *Peccatum* filios Dei non debet turbare. 20. Si quis turbetur propter peccata, non est *regula* vitæ. 21. Christianus non tenetur *precari*, nisi spiritus moveat eum. 12. *Minister* qui non habet hoc *novum lumen*, non potest docere alios qui id habent. 13. Tota litera Scripturæ est fœdus operum. 24. Nullus *Christianus* adigen-

adigendus eſt, ad officia pietatis. 25. Nullus Chriſtianus eſt exhortandus ad *fidem*, *charitatem*, *preces*, niſi ſciamus eum habere ſpiritum. 26. Homo poteſt habere omnem *gratiam*, & tamen carere *Chriſto*. 27. Omnis fidelis activitas tantum eſt agere peccata.

XXXIX. *Ioſephus Hall*, EpiſcopusNorvicenſis, in nupero *Irenico* ſuo patethice deploravit miſerrimum & diſtractiſſimum ſtatum Eccleſiæ Anglicanæ. *Sect.* 23. inquit: *Hoc ævo animæ Chriſtiani populi ſeducuntur non tantum* à Papiſtis, Anabaptiſtis, Antinomis, Pelagianis, ſed & per *infernalem Socinianorum* hæreſin, *Antitrinitarios*, *Nearianos*, ut *ultima Chriſtianitatis in Anglia deſtructio* metuenda ſit.

Authores Annotationum in Biblia Anglica ad cap x. Geneſeos verſ. 25. *Quam refert nomen Pelegi infelicia tempora noſtra? Quot cauſas habemus liberos qui naſcuntur, Pelegos vocandi? Quam diviſi ſumus non in linguas tantum, ut Babylone factum? ſed capita, corda, manus? Quantæ diviſiones non tantum Rubenis*, ut Jud. 5. 15. *ſed omnium tribuum Iſraëlis noſtri? Et ô ſi tantum diviſi eſſemus!* Jam vero ſubdiviſi ſumus in complures factiones Reipublicæ, in varia ſchiſmata Eccleſiæ. Quam nos Indices noſtros implere poſſemus nomine Pelegi, conſiderata lamentabili diviſione quæ eſt inter nos. *Et ibidem pluribus deplorant*

plorant miserandum regni & Ecclesiæ statum.

XL. *Thomas Edoardus in Gangræna:* Nulla *hæresis, blasphemia, confusio* est, quæ non vel *inveniatur* in Anglia, vel *oriatur.* Reformatio ab *uno* extremo ad *aliud* collapsa est. A Scilla in Charybdin ventum. Pro *Papalibus* innovationibus, *superstitionibus* & *tyrannide* Prælatorum, damnandæ *hæreses*, horribiles *blasphemiæ, Libertinismus*, & tremenda *Anarchia* est. Non *ablata* mala, sed *aucta.* Diabolo pejor Spiritus successit. Cœpta *Reformatio* in *Deformationem* exit. Jam & ipsam *abnegant Scripturam*, & tam *enormis omnium Religionum libertas* propugnatur, ut etiam blasphemiæ ac Atheismus includantur. Et hoc publicis scriptis fit, in conspectu Parlamenti. *Imagines* Trinitatis, Christi, Mariæ, Apostolorum deletæ sunt; & jam ipsa *Trinitas, Christus, Maria, Apostoli* vilipenduntur, denegantur, & spurcis calumniis fœdantur. *Crux* & *ingeniculatio* ex Sacramento sublatæ; & jam *ipsa Sacramenta* negantur. *Festa* abrogata; & jam hæretici *Diem Domini* irrident ac spernunt. *Hierarchia* Episcopalis sublata; jam plane nullum regimen volunt. Tempore Episcoporum Psalmi & preces, nisi ex libro, abrogabantur; nunc in eundem censum veniunt *decantatio* psalmorum, *preces* ac omne sacrum ministerium. *Cerimoniæ* Papales sub

ſub Epiſcopis, & ingeniculare ad altare, nunc *inunctio* per oleum eſt. Tunc erat *Epiſcopatus* infantum; nunc *manus* imponuntur *viris* ac *fœminis*. Intolerabilis viſa in Epiſcopis quarti præcepti abrogatio. Jam Antinomis permittitur *decem præcepta* tollere: totam *Scripturam* Quærentibus. Ingens numerus *opificum* concionatorum, & rudiſſimorum *nebulonum*. Etiam *fœminæ* & *pueri* concionantur. Sectarii in una *Parœcia* Londinenſi undecim congregationes habent. Sicut olim Regis Proclamationes contra Jeſuitas & Papiſtas tantum in ſpeciem propoſitæ fuerunt, creſcente interim numero; & ſi quis exſequi eas vellet, pro gratia odium reportavit; ita nunquam major licentia fuit, quam poſtquam interdictum rudibus concionari. Nunquam effrenatior nequitia contra regimen Presbyterianum ſanctiſſimum, quam poſtquam illud decretum. Nunquam plures horrendi libri publicati, quam cum id interdictum. Si quis conqueratur apud Parlamentum, quantum illi Schiſmatici favorem inveniunt? quam cæteri contemnuntur? Sicut olim gradus ad favorem in aula fuit Puritanos vexare: ita qui orthodoxis Presbyteris negotium faceſſit, τὸ πᾶν eſt. Inde uſque à primo hujus Parlamenti anno creverunt; ſed hoc XLV. adeo in immenſum, ut ſi ea proportione pergant, non ſit opus Papiſtas metuere,

tuere, qui Religionem destruant. Ipsi facient. Quid tot Victoriæ, Declarationes, Protestationes effecerunt, nisi plusquam *Diabolicam confusionem?* Mirantur Scoti. Exteri mirantur, & dicunt, *Cur non Rex possit tolerare unam falsam Religionem Papisticam, cum Parlamentum omnes toleret?* Nulla hujus tolerationis causa Politica est. Schismatici vires suas jactant, & victorias, sed ipsi minima pars in iis; & dum illi foventur, interea Civitas Londinensis, Scoti, Protestantes exteri languent. Solemne fœdus de *exstirpandis schismaticis* pedibus conculcatur: cum exercitus, civitas Londinensis & omnes Provinciæ sub Parlamento sint lerna Schismatum. *A condito orbe non fuerunt tot monstrosæ opiniones, quot nunc in Anglia!*

Omnes autem Schismatici qui Angliam infestant, uno & communi *Independentium* nomine comprehenduntur. *Primo*: quia omnes se profitentur tales, etiam vilissimi; ut qui *Scripturam* & *Divinitatem* J. C. negant, illi ab Ecclesia Anglicana & communione ejus se separant cum Independentibus. *Deinde:* quia *Independentes* se ipsis perpetuo adjungunt contra Presbyterianos. *Tertio*: quia Independentes omnes hos, *Anabaptistas* & *Quærentes*, habent pro sanctis & veris Christianis.

Cæterum, antequam ad præcipuas sectas descendamus, communis omnium natura

natura exponenda eſt.

XLI. *Ioh. Baſtwik* in ſecunda parte libri: *Independency no God ordinance.* Quamprimum Parlamentum hoc Reformationem ſuſcepit, multo acrius partium odia & nomina exarſerunt. Independentes ex Nova Anglia & Belgio reduces, populum invenerunt propter recentem Epiſcoporum tyrannidem, magis ſuæ opinioni addictum. Unde magno ſectatorum incremento aucti ſunt, præſertim cum dicerent, *Presbyteriale regimen reipſa, mutato tantum nomine, & pompa, Epiſcopalem poteſtatem ac tyrannidem ſibi in Eccleſias arrogare.* Ex hoc ſecutum grave animorum diſſidium. Independentes odium Presbyterianis, Presbyteriani Independentibus conciliarunt, ut quiſque contentioſior & ferocior propter inſuetam libertatem eſſet. Hoc malum brevi poſt in majus evaſit. Quippe ſectarii hactenus occulti, & per familias ſuas ac contubernia diſperſi, ſi non autoribus, ſaltem ut fertur adjutoribus *Ieſuitis*, occaſionem tam commodam in hoc velut interregno nacti, palam & verbo *Independentibus* favere, quod, ſub illa Eccleſiarum prætenſa Independentia, ſibi januam ad ferendum horrendas blaſphemias aperiri viderent. Itaque omnes uno Independentium nomine cenſeri volebant, quo ſub illo in vulgus grato titulo venena ſua eo occultius diffunderent.

Clam

Clam interea meram *confusionem*, *hæreses* absurdissimas, inaudita commenta, ac ægrotantis cerebri commenta, serebant. Homines ineptissimi pulpita invadebant, ac ministerio se ingerebant, nec eruditione nec sana doctrina instructi. Utque scopum suum eo facilius obtinerent, pro conscientiarum absoluta & independente in rebus ad fidem spectantibus libertate, tanquam pro aris ac focis pugnarunt. Malum diutina medicinæ carentia eo evasit, ut extrema omnes metuerent. Quippe illi fucati ac simulati Independentes *factionem potentissimam* excitarunt, & haud obscure minabantur, se pro illa sua credendi quodlibet libertate, vel *ferro certaturos*; Siquidem aliter eam obtinere nequeant. *Independentes* igitur sive *Novos* Puritanos, his proximis annis in duo hominum genera abiisse tradunt. Quorum alii in cæteris Orthodoxi censebantur, ac in doctrina *Presbyterianis* consentientes: sola de *regimine* disceptatio discrimen faciebat. Et hi, ne, propter commune cum cæteris nomen, eorundem suspecti criminum essent, non Independentes, sed *Congregationales* imposterum appellari voluerunt. Alterum genus est colluvies pessimorum hæreticorum, *Anabaptistarum*, *Familiaristarum*, *Antinomorum*, *Socinianorum*, *Libertinorum*, & mille aliorum nominum. Hi novum nescio quod *lumen* sibi denuo illuxisse fin-

gunt,

gunt, vaniſſimi homines, ac ſe illum *ſanctum* Dei populum, illos Jeſu Chriſti & ejus *regni*, contra omnem *Epiſcoporum* & *Presbyterianorum* tyrannidem, jactabant propugnatores. In fide ſua adeo inſtabiles ac incerti, ut quod hodie credunt, cras majore luce aucti, ſe repudiaturos profiteantur. Cætera *opum* amatores: quippe qui profitebantur, *ſanctos rerum terrenarum veros poſſeſſores* ac *Dominos* eſſe. Unde in veſtitu *ſplendidi*; nec illam *Puritanorum* priſcam ſectabantur ſimplicitatem. Ditiſſimas *familias*, maxime generoſas *fœminas*, in ſocietatem ſuam trahebant. Erat miſerrima res, videre hanc Eccleſiarum diſtractionem. Quicunque ab illis in hoc Independentiæ idolo diſſentiebant, eos velut *canum* ac *porcorum* colluviem ſua *communione* ac *Sacramentis*; infantes ipſorum *baptiſmo* excludebant, tanto in Presbyterianos odio, ut & *lectione* librorum ab ipſis ſcriptorum, & *auditione* concionum talium, ſuis interdicant. Omnis apud eos erroris contradictio ac oppoſitio, perſecutionis nomine venit. Jactabant nec *Euangelium* toti mundo prædicari, nec incrementum *fidei*: nec *pacem* ſtabilem ſperari poſſe, quamdiu non *generalis credendi libertas* indulgeatur. Calumniæ in *Presbyteriales* horrendæ; *Hoſtes Ieſu Chriſti*, *perſecutores fidelium*, filios *Diaboli* vocabant. Et potius, quam ut eorum Tyrannidi (ſic loquebantur)

bantur)

bantur) succumbant, dira omnia minitabantur; & se vel *mortem* ipsorum regimini prælaturos: nec *arma* ponere velle, nisi illa *conscientiarum Libertate*, pro qua hactenus pugnarint, impetrata.

XLII. Plus quam *quadraginta* inauditæ sectæ ex hoc Independentium *Trajano Equo* prosilierunt. Quidam omnem *Veteris* & *Novi* Testamenti Scripturam, velut rem nihili, rejiciunt. Alii se *Exspectantes* vocant, ullam in orbe terrarum Ecclesiam exstare negantes. Alii *Inquisitores* sunt, Ecclesiam in deserto latentem quærentes. Alii tam *monstrosas* opiniones habent, ut ne commemorari sine horrore queant. Et ab his sectariis præcipue *Lecestria*, *Darbia*, *Chesterfielda* se immunes magna prudentia & pietate conservarunt.

XLIII. *Sectarii* in illo libertatis conscientiarum argumento admodum exsultabant, *persecutionem*, *carceres*, *cædes*, *tyrannidem*, velut alter iis *Nero & Diocletianus* immineret, exaggerantes. Et suorum meritorum immodici *præcones*, quomodo pro *libertate* regni & *conscientiarum* arma cepissent, continuo ingeminabant. Nam *per quos Deus regnum hactenus liberarit, nisi per eos quibus nunc persecutionem intentent? qui in præliis animosiores? qui sæpius in Septentrione ac alibi victores exstiterint? Nimirum iis nunc, qui toties hostem fugarint, fugiendum fore. Verba ha-*

ctenus data esse: promissam singulis Ecclesiis libertatem omnino nunc negari. Nihil juvare sanguinem charissimorum effusum. Non se abnuere mortem millies oppetere, dummodo fratribus suis hanc libertatem conscientiarum acquirant. Crebro hæ voces auditæ: *Libertatem conscientiæ negatis? Quis vero fratribus nostris vitam, quis sanguinem nobis rependet?*

XLIV. Omnes illæ sectæ & schismata, quæ exteris videntur numero carere, ad quatuor præcipuas revocari possunt, *Quærentes sive Exspectantes*, *Antinomos*, *Anabaptistas*, *Congregationales*. Quanquam enim multa inter se communia habeant; & omnes quoque *Congregationales* sive *Independentes* dici velint; tamen in præcipuis quibusdam capitibus manifeste differunt ac distinguuntur.

Quærentes sive Exspectantes. Sunt, qui hos in duo genera dispescunt, & alios statuunt *Quærentes*, alios *Exspectantes*. Summa discriminis in eo constituitur, quod ille credunt *Ecclesiam* alicubi esse, sed *latere*, ideoque inquirendam; unde & *Quærentes* dicti; alteri autem plane ejus præsentem exsistentiam negent, & in futurum exspectent miraculosam cœtus Christiani per Apostolos restitutionem. Sed quoniam utrique in eo consentiant, nullam esse *visibilem* Ecclesiam, ideo noluimus esse curiosi in multiplicandis schismatis.

matis. Angli *Seekers* vocant & *Waiters*; ac proprie Scepticorum propago sunt. Quis primus infamis hujus sectæ, & quæ parem ab orbe condito non habuit, author fuerit, non mihi innotuit. Orta videtur in Nova Anglia; & *Hutchinsoniam* si non matrem, saltem nutricem habere ac alumnam. Inde in Veterem *Angliam* traducta est, & quidam *Rogerus Guilhelmi*, ex Nova Anglia proscriptus, eam Londini propagavit. Præcipuum caput erroris est: *Nullam esse Ecclesiam, nullum ministerium, nulla Sacramenta, vel disciplinam; propterea, quia nullus sit Apostolus.* Itaque hi tamdiu *quæsiverunt* Ecclesiam, donec eam plane *amitterent*. Exspectant Apostolum *Iohannem*; quem adhuc vivere credunt, & brevi compariturum, ut Ecclesias restituat. Alii dicunt, eum jam in *Suffolcia* conspectum. Juxta alios vero in *Transsylvania* adhuc hæret; & eo destinarunt literas, quibus ipsum hortantur & obtestantur, ut cito veniat in Angliam. Ideo moris apud eos est, quando peregrinum aliquem vident, inquirendi, num is fortasse *Apostolus Iohannes* sit.

XLV. *Antinomorum* primus in Anglia fundator fuit quidam *Iohannes Eatonus*, qui librum publicavit de *gratuita* Justificatione sive *libera*, per solum Christum; in quo præcipue insistit huic errori: *Deum*

nec velle nec posse videre ullum peccatum in justificatis. Hic error non cum authore exstinctus est, sed in hac fatali confusione caput extulit, ac in præcipuam sectam excrevit. Nam, cum tradat tam *expeditam* & *facilem* in cœlos viam, ingens multitudo simplicium hominum eam amplexata est, quæ doctrinam hanc insanum in morem sectatur. Omnia templa plena. Fores & fenestræ præ multitudine obstruuntur. Neque mirum. Doctrina enim hæc, titulo liberæ justificationis, pulvinar substernit omnibus peccatis, quæ deplorare aut cavere justificatis apud Antinomos grande nefas habetur.

XLVI. *Anabaptistæ* in Anglia Tirones adhuc sunt, necdum ad eos errores delapsi, quos apud transmarinos invenias. Tota fere controversia, quam cum orthodoxis habent, in loco de *Baptismate* consistit, & *vocatione* ministrorum. Nam formam *Baptismi* in *immersione* constituunt, & eos tantum membra veræ Ecclesiæ esse dicunt, qui post confessionem in flumine quodam, *toti* submerguntur, & quasi aquis *sepeliuntur*. Ediderunt autem *Confessionem* fidei suæ, quæ nomine septem Ecclesiarum Anabaptistarum Londinensium anno CIↃ IↃ C XLIV. publicata primum, & Anno XLVI. recusa fuit. Constat in universum LII. articulis, quorum plerique sunt referti ambiguitatibus & sophisticis reser-

reservationibus. Hæreses suas incrustant subdola phraseologia. Bonus ille Senex, *Eusebius Pagit*, quosdam articulos obiter annotavit. Ut *articulo* 38. dicunt: *Stipendia ministrorum debere esse libera.* Sensus est: Stipendia ministrorum debere esse non *stata*, sed *voluntariam* contributionem. *Articulo* 39. dicunt: *Baptizandos eos tantum, qui fidem profiteantur & discipuli sint.* Sensus est: *Infantes non esse baptizandos.* 40. *Immersionem* faciunt absolute necessariam. 41. Sacramenta dispensari volunt à concionatore discipulo. 42. *Quibus Deus dona dedit, illi concionari possunt, ac debent.*

Itaque si urgeas eos: *an Infantes sint baptizandi?* statim velut anguillæ elabuntur, ac dicunt: se in confessione sua *Pædobaptismum* non rejecisse. Et sic in cæteris ita mentem suam explicarunt, ut tamen controversias callide prætereant.

XLVII. Ex Nova *Anglia* Independentismus in Hollandiam transvolavit, & prima Ecclesia Independens *Roterodami* fuit excitata à quodam *Hugone Petro*, famosissimo belli Anglicani præcone. Mox Norwicho advenerunt *Wardus* & *Bridgius*, veteres *Conformistæ*, sed novarum *Wrenni* injunctionum intolerabiles. Iis mox successit *Sidracus* Simson. Statim Spiritus *dissensionis* flagrare inter hos tres Independentes cœpit. *Simson* in controversiam lapsus cum *Bridgio*, quod nollet

M 3 con-

concedere libertatem prophetandi, separavit se, & *Novam* Ecclesiam erexit. Hoc primum Schisma. Successit alterum. *Bridgii* Ecclesia tota contentionibus flagrabat. *Wardus* à populo (nam *Presbyterium* nullum erat) depositus; & quanquam intercessione Arnhemensium restitueretur, nunquam tamen plene reconciliatus fuit. Tandem, cum *Bridgius* & *Simson* in Angliam reversi essent, duæ Ecclesiæ Independentes iterum, quanquam difficulter, unitæ sunt, ac libertas prophetandi privatim & die profesto permissa est. *Arnhemenses* Independentes præcipue de sua perfectione gloriabantur, cum tamen crassi *Chiliastæ* sint; & Deum *authorem peccati*, qua *tale* est, faciant; quorum utrumque ex sui *Archeri* disciplina hauserunt, cujus blasphemus liber Londini publice manu carnificis combustus fuit.

Ex Nova *Anglia*, Londinum gregatim se contulerunt, & eam metropolin fecerunt, ex qua communibus consiliis *Independentismum* propagarent. Palmarium eorum opus fuit, *Reformationem* impedire, *schismata* & *hæreses* fovere, *Synodum* ac ejus consilia subvertere. Primo enim omnibus modis impediverunt *convocationem* Synodi. Cum Parlamentum magno dolore ipsorum tandem Synodum vocandam statuisset, operam dederunt, ut *Independens Synodus* vocaretur *electiva* tantum & *consul-*

consultativa. Quotquot habebant celebres inter suos, intruserunt, multis veteribus Puritanis Non-conformistis exclusis, quibus *Episcopales* ac *Liturgicos* homines prætulerunt. Ita *quinque* vel *sex* Independentes tamdiu exoptatam Ecclesiæ Anglicanæ Reformationem impediverunt. Et, cum jam Synodus in tertium annum durarit, ac plures quam quingentæ sessiones habitæ sint, (quod in nulla à condito orbe Synodo factum) nihil tamen opis & consolationis Eccl. contra inundationes hæreticorum accepit. Sicut Synodum omnibus modis impediebant: ita & ejus dissolutionem enixe moliebantur. Prætereo contumelias, quibus Reverendum *cœtum* lasciviose in conventiculis suis publice ac privatim adspergebant. Exhibita Parlamento petitione, Synodum dissolvi impudenter voluerunt. Ea petitio composita fuit in taberna quadam, Præside *Iohanne Lilburnio*, fanatico homine, procacissimi oris, consilia suggerente & dictante *Hugone* Petro. Nam, dissoluta Synodo, certi erant *gubernationem* Ecclesiæ non constituendam, & *distractiones* auctum iri. Cum Parlamentum ad regimen constituendum inclinaret, *Synodus* eos humaniter invitavit, ut in tam pio & necessario opere se fratribus suis conjungerent; sed noluerunt. Cum ipsis permissum esset *exhibere opiniones suas* & *Regimen* scripto, ut sic *innotesceret,*

ceret, pro quo Tyria maria commoverent; post multorum mensium vanam *illusionem* & *exspectationem*, evulgarunt typis libellum contumeliosum contra Synodum & ejus actiones. Ut ita, sicut in Nova Anglia nullam Presbyterialem Ecclesiam tolerant: sic in Veteri Anglia nulla erigatur. Atque hinc illorum vox: *Differ, differ, quid opus tanta festinatione?* Johannes *Lilburn* & ipse schismaticus, ex bello redux, narravit se *quadraginta* novas sectas reperisse, & eas adeo *atroces, periculosas, blasphemas*, ut quanquam sit pro *toleratione* omnium Religionum, tamen *vix abstinere manus* potuerit.

XLVIII. Non est facile exponere omnes *Independentium* opiniones, quia hactenus subterfugerunt intimos sensus suos in lucem proferre; & quia profitentur *Sceptismum* cum mutabilitate in opinionibus. Quam refractarii sint in declaranda mente sua, patet tum ex obstinato *silentio* eorum, tum quia etiam urgentibus ac obtestantibus detrectant sua dogmata proponere. Et ministri Londinenses, & nomine Ecclesiarum Walachriæ Apollonius, frustra eos instantissimis *precibus* sollicitarunt. Quod si aliquando narrationem *viæ* suæ ediderunt, id semper factum cum *exceptione*; ita ut profiterentur, *ultimas conclusiones suas & decretorias se nondum posse aperire*. Et ut ut planius se declararent, ta-

men

men principium illud *scepticum* & mutationis impedit, quo minus certi esse possint orthodoxi de mente ipsorum. Singulares opiniones, quæ in publicum emanarunt, nec hactenus revocatæ sunt, ita se habent:

XLIX. Cum profiterentur se abhorrere à *Brownismo*, distincti ab ipsis fuerunt nomine *Independentium*, quod innuit præcipuum discrimen inter ipsos & Presbyterianos, situm non in separatione, sed in regimine Ecclesiæ, quod contra omnes Ecclesias Reformatas sustinent esse *Independens*, hoc est, *non subjectum ulli authoritati & jurisdictioni Synodicæ.* Sed postea ferventi studio rejecerunt nomen Independentium, profitentes *Independentiam* vel *Dependentiam* congregationum esse unam ex *minimis* controversiis. Nam primo profitentur, se dimidia parte inclinare ad Brownismum, & veritatem consistere in medio inter Brownismum & Presbyterianismum. Sed etiamsi in quibusdam inclinent ad mediam viam; tamen in præcipuis non tantum consentiunt cum Brownistis, sed & eorum furores exsuperant, ut pro Semiseparatistis inveniantur Sesquiseparatistæ. Nam Independentes secessionem faciunt à *Reformatis* Ecclesiis, propter longe deteriores causas, quam Brownistæ. Hi enim prætendebant Episcopos, Liturgiam, & impietatem congregatio-

num. Sed jam omnia hæc ſunt ſublata, & profani ac ſcandaloſi arceantur à Cœna. Nihilominus ſeparant ſe. Nam, quod confitentur Eccleſiam *Anglicanam* eſſe veram Eccleſiam, & miniſterium ejus verum ac ſalvificum, id non minuit ſed auget crimen *ſeparationis*. Majus quippe peccatum eſt ſeparare ſe à vera Eccleſia quam à falſa. Renuunt omnem *Communionem* ut *membra* cum Eccleſiis Reformatis. Concionantur inter illos, tanquam inter *paganos*, ſolummodo ut *viri donis præditi*, pro *colligendis novis Eccleſiis*. Docent: *Quicunque non amplectatur Independentiam*, utcunque cætera pius & orthodoxus ſit, *eum non admittendum ad ſacram Cœnam*, nec frui debere privilegiis Eccleſiæ; ſed tales eſſe *Antichriſtianos ſpiritus*, *hoſtes regni Chriſti*. Cumque iis oblatæ eſſent optime Reformatæ congregationes in Anglia, cum perſonali diſpenſatione quamdiu viverent; ſi modo vellent deſiſtere ab intolerabili ſeparatione, nihil impetrari potuit; & clare oſtenderunt, ſe *cum ſeparatis Congregationibus ſuis velle tolerari*, & non aliter. Materiam & formam Eccleſiæ ſuæ à Browniſtis didicerunt. Neminem admittunt pro membro, niſi qui totam Congregationem convincit de ſua *reali regeneratione*. Præter veram *gratiam* requirunt in membro *convenientiam Spiritus*, ita ut affectus ejus concurrant cum affe-

affectibus totius Ecclesiæ. Sed in hoc sunt laxiores Brownistis. Nam *Anabaptistas, Antinomos*, & alios sectarios admittunt, modo non sint *Presbyteriani*. Formam Ecclesiæ ponunt in fœdere cum Brownistis, sed longe strictiori. Neminem admittunt, nisi qui plane & plene omnem eorum viam & ubicunque à Reformatis Ecclesiis differunt, amplectitur, & nuper Londini etiam hoc juramento suo addiderunt: *Quod velint gubernationem Presbyterialem oppugnare, & Independentismum vi & armis propugnare*. Cum Brownistis Ecclesiam, à privatis fœdere Ecclesiastico se obstringentibus, sine Magistratu & ministris, constitui volunt. Et hanc potestatem *septem* minimum personis adscribunt, nec plures admittunt quam qui commode in uno loco convenire possint: Volunt omnes in Anglia *Ecclesias* esse *dissolvendas*, & *ministros debere privatam personam induere, ac sic novas Ecclesias Independentes constituere*. Idque nuper patuit in Bermudis. In ea insula plusquam 3000. incolæ sunt, qui multis annis pacifice per Ecclesias suas & pie vixerant, usque ad A. cIↃ IↃ c XLI. Cum ministri ipsorum persuasi à Nov-Anglis se ministerio suo abdicarunt, & privatas personas assumserunt. Donec *tres* fœdere Ecclesiastico obstricti, novam Ecclesiam constituerent, persuasis ad societatem aliis circiter 40. Hi *confederati*

unum ex ministris qui se abdicarant, Pastorem suum creant; & alios *duos Presbyteros*. Et hi *tres* per totam Insulam prædicarunt, *præparantes* cæteros, ut *membra Ecclesiæ fierent*. Nullis vero *Sacramenta* administrarunt, præterquam illis 40. confœderatis. Ejusmodi *septem* personis dant *omnem potestatem Ecclesiasticam independenter sub cælo, eligendi, ordinandi, deponendi, excommunicandi & decidendi omnes controversias Ecclesiasticas*. Quæ controversia circa potestatem Presbyteriorum & Congregationis, Brownistas, Johnsonum & Ainsworthum exercuit, eadem Independentes exercet, *Nov-Angli* potestatem Ecclesiæ adscribunt *Congregationi*, Presbyteris præparationem rerum, ita ut decisio fiat per pluralitatem vocum. Claves dant non Presbyteris, sed *fraternitati*, ut loquuntur. Et cum metuerent usurpationem Presbyterorum, & succrescentem authoritatem, alicubi totum ordinem omiserunt, Amstelodami *Brownistæ*, Roterodami *Independentes*, ubi nulli Presbyteri erant. sed omnia à populo gubernabantur. Imo Arnhemenses multis annis *sine Pastore* vixerunt. Sed *Cottonus* & alii, cum viderent nimiam & intolerabilem populi potestatem super Presbyteros, ab Ainswortho ad Jonstonum lapsi sunt, & *Presbyterii* authoritatem supra *fraternitatem* extollunt, ac defendunt, *Presbyterii* supe-

superioritatem supra fratres, esse de jure divino. Ut vero utrique parti satisfaciant, *Presbyterium* & *fraternitatem faciunt causas sine qua non:* ita ut nihil ratum sit quod Presbyteri egerunt, nisi consensu populi confirmetur; & populus nihil agere possit, nisi per Presbyteros. Quod si obstinatio Presbyterii sit incorrigibilis, tunc dant potestatem populo *separandi* se ab iis, & novos Presbyteros eligendi. Nondum tamen plane convenit inter ipsos, quanta potestas Presbyteris, quanta populo adscribenda sit. Multas distinctiones invenerunt, sed neutiquam satisfactorias scrupulositati suæ. Maxime tamen iis arridet novum commentum Cottoni, distinguentis inter potestatem *authoritatis* & *libertatis*. Independentes plus potestatis Ecclesiasticæ fœminis adscribunt, quam Brownistæ. Synodus Nov-Anglica non tantum *fraternitatem*, sed & *sororitatem*, facit subjectum *privatæ* clavium potestatis. *Fæmina* fuit fundatrix Ecclesiæ Roterodamensis, in qua Simson docuit. *Hutchinsonia* Cottonum, & complures, in Nova Anglia ad horrendos errores, & ipsum novæ Separationis præcipitium, abduxit. Londinenses Independentes fœminis in Ecclesia potestatem dederunt *disputandi* & *decidendi* controversias suffragiis suis. Garrula *Katharina* Chidley in scripto pro Independentibus evulgato, *privatos* scribit

legi-

legitime sacramentum utrumque administrare posse. Et utcunque in nonnullis sit differentia inter Brownistas & Independentes, tamen in præcipuo capite summus consensus est. Quæcunque tandem potestas, sive *libertatis*, sive *authoritatis*, sit in Congregatione *organice*, in *fraternitate* sive Presbyterio *radicaliter* & *habitualiter*, *conjunctim* sive *separatim*, hanc ita adstringunt Congregationi, ut *nullam subjectionem alterius authoritatis* agnoscant. Vocabulum Independentiæ abominantur, sed aliqui tantum. Sunt alii ex præcipuis ipsorum Rabbinis, quibus id non displicet. Sed quicquid tandem id verbi sit, *rem* omnes obstinatissime defendunt. In nulla re major concordia inter ipsos quam in hoc, quod *quælibet congregatio*, etiam *septem* tantum personarum, totam Ecclesiæ potestatem *absolute* sine *dependentia* vel *subjectione sub cælo* possideat. Quod si corruptum & negligens Presbyterium non corrigat membra sua, omnes Synodi totius orbis non habent potestatem juxta eos *censurandi* tales, etiamsi corrumperent hæresi sua & vitiis totam nationem. Itaque omnem *authoritativam* Synodorum potestatem, sive *Nationalium* sive *œcumenicarum*, pro *Antichristiana* tyrannide habent; & si quis ex congregatione minima se submittat, eum dicunt abjicere libertatem, qua Christus nos liberavit. Atque

hoc

hoc monſtroſum Independentiæ dogma, vel radix vel dogma eſt multorum errorum. *Radix:* quia pauci quidam, ſe includentes exiguis terminis unius congregatiunculæ Independentis, exemti à cenſura aliarum Eccleſiarum, latam Diabolo feneſtram aperiunt, ſeducendi eos in quaſvis humani cerebri imaginationes & errores, ſine ullo humano remedio. *Fructus*: quia, qui ſibi conſcii ſunt ſingularitatis, quam non toleratum iri vident, ſtatim ſe recipiunt ad aſylum *Independentiæ*, ubi libere ſua monſtra in ſinu fovere queant.

L. Ut crudum hoc dogma mitigent, tria adducunt. *Primo* concedunt *claſſes*, *Presbyteria*, *Synodos*; ſed ita, ut verbo tantum differant, & claſſes ſint eædem cum Synodis. Nam inter claſſicale *Presbyterium* & *Synodum* nullas admittunt claſſes, ſive compoſita plurium congregationum Presbyteria, quæ Reformati faciunt primum & ordinarium ſubjectum ordinationis & aliarum juriſdictionum. Præterea, *Synodi* ipſorum non niſi Browniſticæ ſunt, ſine omni *juriſdictione*, ubi cuilibet ex populo licitum ſententiam dicere, mere electivæ & occaſionales. Quod ſi claſſis vel Synodus non hoc modo ſe habeat, eam pro *tyrannica curia*, longe Epiſcopalibus deteriori, habent. *Secundo*, Synodis adſcribunt cenſuram *Non-communionis*. Hoc novum commentum inter alia *Cottonus*

veteri

veteri Brownifmo addidit; ut ita, juxta illam opinionem, quælibet etiam *minima congregatio*, omnes Ecclefias totius mundi posſit à ſua communione rejicere. Orthodoxi tantum ſynodis adſcribunt poteſtatem cenſurandi membrum vitioſum congregationis; & hi uni congregationi adſcribunt poteſtatem cenſurandi omnes Ecclefias & Synodos totius orbis. In hac *Non-communione* faſtigium Brownifmi & Separatiſmi conſiſtit. *Tertio:* Magiſtratui adſcribunt Poteſtatem hæreticos puniendi ac ſchiſmaticos. Et hoc à Browniſtis didicerunt. Sed nuper nimium affectata libertas eos ab hoc dogmate abripuit; & nunc obſecrant magiſtratum, ut Religiones liberas eſſe ſinat. Imo *negant Magiſtratum ullam poteſtatem in Religionem habere*, quod nec Papiſtæ, nec Arminiani tanta auſi ſunt impudentia.

LI. Sic patet, quod in ſeparatione, conſtitutione & regimine Eccleſiæ, Independentes cum patribus ſuis *Browniſtis* pari paſſu incedant, & in multis præcedant. Nec minus ſibi in his nugis quam Browniſtæ placent. Nam in his ipſum Jeſu Chriſti regnum conſtituunt, & qui ſe his phantaſiis opponit, eos *hoſtes regni Chriſti* faciunt. Dicunt: *Independentiam hanc eſſe initium & partem regni Chriſti in hac terra, quod mille annis duraturum ſit.* In cæteris quoque Browniſtas Magiſtros agnoſcunt,

Matri-

Matrimonia Magiſtratui adſcribunt, vel miniſter, nomine magiſtratus & ut delegatus ejus, id confirmat. In *divortiis* nonnulli Browniſtis ſunt deteriores. *Miltonus* merum viri arbitrium, ſine uxoris culpa vel judicis cognitione, facit ſufficientem divortii cauſam. *Gortingius*, celebris in Nova Anglia independens, ante Hutchinſoniæ turbas, docet *uxores poſſe repudiare viros ſuos*, ſi nolint ſequi novam Eccleſiam, quam ipſa ampleɛtatur. Omnes circumſtantias cultus divini, quas Scriptura non determinat, liberas permitti volunt. Notum eſt, quam acriter ſe oppoſuerint *Directorio* trium regnorum, & cum non poſſent illud impedire, quantam operam dederint, ut in præfationem eæ phraſes insererentur, quibus omnis uſus ejus fruſtraretur. *Vniformitati* ſe præfracte opponunt. Vulgaria dierum, menſium, multarum civitatum & templorum nomina ipſis æque ac Browniſtis illicita. Et tamen non ſubterfugiunt templa ſub Papatu ſtructa, nec campanas refugiunt inventas à Papa & ſuperſtitioſe baptizatas. Decimas & ſtata ſtipendia abnuunt, & reſtitui volunt Apoſtolicam praxin, ita ut miniſtri Eccleſiæ ſuſtententur ex Eleemoſyna & voluntaria contributione. Sed praxis ipſorum in hoc à doctrina diſcrepat. Nam amant ſtata ſtipendia, eaque larga. In ſolemni cultu ſæpe unus precatur, alter concionatur, tertius prophe-

prophetat, quartus Pſalmos dirigit, alius dimittit & benedicit. Divinam inſtitutionem faciunt, ut cultus ſine ulla præfatione incipiat à *precibus* pro Rege & Eccleſia. Poſt Paſtoris preces Doctor legit & exponit. In concionando volunt vel *ſumere textum*, vel *libere differere*, prout ipſis videtur neceſſarium. Poſt concionem *cuilibet* ex populo, qui eſt idoneus, dant prophetandi libertatem. *Omnibus licitum eſt ea quæ dicta ſunt publice examinare & contra objicere.* Sed hæc duo exercitia adeo infeliciter in N. Anglia ſucceſſerunt, ut libenter utrumque abrogatum viderent. Quidam nullas admittunt cantiones tempore publici cultus; alii nolunt permittere ut *mulieres canant* in Eccleſia. Monſtroſiſſimum eſt illud Arnhemenſium inventum, qui *canentem Prophetam* inſtituerunt. Is ſolus in Eccleſia decantabat Pſalmos, quos ipſe compoſuit, cæteris omnibus ſilentibus. Preces ex libro legi permittunt in certis caſibus; & Orationem Dominicam etiam in publico recitari, ſequentes Robinſoni doctrinam. Sed praxis eorum in hoc ſilet, & conſtanter Orationis Dominicæ obliviſcuntur, Neminem volunt baptizari, niſi infantes ſuarum congregationum. Et ſic totam Angliam, paucis illis Independentibus exceptis, reducunt ad *Paganiſmum*, excludentes eos omnes Eccleſia Chriſtiana. Denegant ipſis *Sacramenta*,

menta, Disciplinam, ministros, & omnia quæ barbaris Americanis denegarent. Cæteros infantes sine baptismo usque ad annos discretionis manere volunt, donec possint non tantum declarare actualem fidem & sanctimoniam suam, sed & subjicere se *regno Christi*, id est, *Independentiæ*. Nolunt admittere stipulationes pro infantibus. Immersionem probant, nec adspersionem improbant. Viam Anabaptismo præparant in tribus his, ubi non tantum omnes orthodoxos, sed & Magistros suos Brownistas deserunt. Primo denegant *fœderalem* sanctitatem liberorum ex Christianis parentibus natorum. Contra hanc Th. *Goodwin* concionatus est, palam negans illam communem Protestantem distinctionem sanctitatis in *realem* & *fœderalem*, & requirens in quolibet baptizando infante realem & inhærentem sanctitatem, præter fœderalem. Quæ cum nullo certo signo possit in infantibus deprehendi, quis non videt Pædobaptismum subverti? *Secundo: Baptizatos infantes non habent pro membris Ecclesiæ, priusquam suscipiant fædus*. Et sic baptismum exigui usus faciunt, quo infantes sine detrimento carere possint. *Tertio: Anabaptismum* pro tolerabili errore habent, nec membra sua coram Presbyterio reprehendunt, propter obstinatum Pædobaptismi neglectum. *Cœnam* Domini *noctu*, postquam alius cultus per-

peractus est, celebrari volunt. Cum nulla Reformata Ecclesia eam participant, sed cum Brownistis & Anabaptistis. Celebrant eam non singulis mensibus, ut in Nova Anglia; sed qualibet Dominica, quod facit actionem Missæ Romanæ similem. Nam non præparant membra sua ad sacrum illud convivium. Tam felices se esse putant, ut semper præparati sint ad Cœnam Domini à primo ingressu suo in Ecclesiam usque ad mortem. Toto hoc spatio nulla inter eos catechizatio. Hoc exercitium infra se habent, & tanquam inutile in tam *perfectis* congregationibus. Non habent concionem una septimana ante Cœnam, ac ne quidem membra sua admonent. Praxis Novæ Angliæ monendi omnes una Dominica ante, Londinensibus Independentibus displicet. Non habent conciones Eucharisticas post Sacramentum. Omni tempore Cœnæ altum in congregatione silentium: non lectio, non exhortatio, non psalmi; membra ipsorum non opus habent ejusmodi mediis ad sacramentales meditationes. Etiam à Brownistis didicerunt duplicem & distinctam consecrationem utriusque elementi sigillatim. Novi Angli *sessionem* ad tabulam habent pro necessario ritu. Sed quemadmodum Brownistæ Amstelodamenses non habebant tabulam, sed mittebant elementa de pulpito per manus Diaconorum ad

ad congregationem hinc inde ſedentem: ſic Independentes Londinenſes contendebant ſupervacaneum eſſe accedere ad tabulam, ſed volunt ſigilla à pulpito ad populum circumferri. Londinenſes urgent, quemlibet communicantem debere operto, miniſtrum nudo capite, eſſe. Nam *hunc ritum ſignificare communicantibus honorem convictus & societatis cum Chriſto; & miniſtrum eſſe ſervum Eccleſiæ.* Finito cultu, tum cum Browniſtis totus populus audit & dijudicat res ad diſciplinam ſpectantes. Atque hic actus eſt omnium tædioſiſſimus, propter infinitas contentiones, quæ in congregationibus ipſorum oriuntur. Roterodami & Arnhemi congregatio aliquot dies continuos inſumſit in diſceptatione cauſarum, quæ die Sabbathi non potuerunt dijudicari. In Cognitione *cuilibet membro quoad ſingula ſatisfaciendum eſt.* Nam, non ſpectant *pluralitatem* vel *numerum* ſententiarum, ſed *harmoniam* & *conſenſum* omnium, qui jus ſententias dicendi habent. Quod ſi qui diſſentiant à majori numero, eos informant & laborant ad conſenſum perſuadere. Si nolint cedere & ſe fratribus ſuis conjungere, declarantur obſtinati, & excidunt jure ſuo ſententias dicendi pro illo tempore. Et quod peſſimum, ac ob leviſſimas occaſiones diviſionum in his congregationibus cauſa, diſſentientes ob contuma-

tumaciam acrius castigant. Privatos conventus, medios inter domesticos & congregationales, admodum commendant. Nam in iis communiter aliarum Ecclesiarum membra ad Independentismum suum præparant ac seducunt. Verum Brownistæ, & Nov-Angli, incommodis quæ senserunt gravissimis edocti, talia conventicula omittunt. Nam in Nova Anglia prætextu collationis & repetitionis concionum, *falsæ doctrinæ, abominabiles calumniæ* contra orthodoxos ministros ac Magistratus sparsæ; ita ut tam Respublica quam Ecclesia collapsuræ viderentur, nisi Deus malum avertisset. Sed quoniam Londinenses Independentes his conventiculis, tanquam præcipuo medio pro seducendis aliarum Ecclesiarum membris, utuntur, ideo iis studiose invigilant. Quod si collectio Ecclesiarum aliquando ad finem perducta esset, & curam adhiberent pro conservando & ædificando id quod suffurati sunt, tum procul-dubio æque cauti futuri essent, ac Brownistæ & Nov-Angli. Nam, illæ congregationes privatæ, sunt ager *hæresium* & *divisionum* feracissimus. Magistratui impudenter adulantur, ita ut etiam Reformatas Ecclesias contumeliosissime apud eum traducant. Nam jactitant se Magistratui tantum tribuere, quantum Presbyteriani non possint. Sed quam falsum hoc sit, ex his patet. *Primo:*

quidam

quidam præcipuæ inter eos authoritatis negant Magiſtratum ullam poteſtatem in pios habere. Alii, ut Hutchinſonia, omnem Magiſtratum abnegant. *Secundo:* an non ipſorum doctrina excludit omnes Reges, Principes, Magiſtratus (pauciſſimis exceptis) ab Eccleſia & Sacramentis; infantes ipſorum à baptiſmo? *Tertio:* pauci illi Reges, Principes, Proceres quos admittunt, quamdiu quæſo victuri eſſent ut membra inter eos? Nam dicunt ſe excommunicaturos ſine mora etiam maximos *Reges*, propter vitium in doctrina vel vita; & nullum diſcrimen inter ſervum & Dominum ea in re fore. Nec ſemel ejectis ullum humanum remedium relinquunt, etiamſi omnes Theologi, Synodi, Eccleſiæ viderent innocentiam eorum; nihil tamen hoc valeret contra congregatiunculam Independentem. *Quarto:* ubi rerum potiuntur, neminem, ne ad minimum quidem munus publicum, admittunt, niſi qui ſit cordialis Independens. Et magiſtratus, quem admittunt, poteſtas omnis ac authoritas à beneplacito promiſcui vulgi dependet. Reges ac Parlamenta ſubjiciunt populo. Quando Magiſtratus non vult amplecti eorum nova commenta, tum ſtatim parati ſunt ad inſurrectiones, & totum ſtatum ſubvertere conantur. Sic tunc in Anglia minaciſſime loquebantur, & nil niſi cædem

Pres-

Presbyterianorum ſpirant, ac ſperant. Ante aliquot annos in N. Anglia, cum neſcio quid de *Rege* ſuſpicarentur, ſtatim armarunt populum, & juramentum ab eo exegerunt, pro *defenſione Privilegiorum ſuorum contra quoſvis.* Et paulo poſt in tumultu *Hutchinſoniano* Magiſtratus coactus eſt eos exarmare etiam Boſtoni, quod metus inſurrectionis eſſet, & Magiſtratus de vita inter ipſos, Reſpublica de ſalute, laboraret. *Sexto:* anne Principia Independentium ullam Magiſtratui in Eccleſias poteſtatem relinquunt? anne ſubmittunt ſe Civili poteſtati in Eccleſiaſticis? anne ſe impediri patiuntur à Magiſtratu, quo minus Eccleſias deprædentur & furentur membra? anne jubente Rege & Parlamento dimittere aliarum Eccleſiarum membra ea excludent à ſuis conventiculis? annon declararunt coram Parlamento, Religionem exemtam eſſe à civili poteſtate? *Septimo*: anne ullæ Eccleſiæ Reformatæ, vel ullæ Eccleſiæ totius mundi adeo injurioſæ ſunt in Magiſtratum ac ipſi, qui ſpoliant *Regem* & *Parlamentum* Legiſlativa poteſtate? qui abolent omnes humanas Leges, & impediunt ne novæ fiant? Nam dicunt, *Legiſlativam poteſtatem ſolius Dei prærogativam eſſe.* Et Independentes, quanquam non tam rigide & aperte in hoc loquantur, ac Browniſtæ; tamen aperte dicunt: *Non licere*

Magi-

Magiſtratui leges condere , quæ non conſentiant cum Legibus in Scriptura; cum Scriptura ſit perfecta Regula etiam in civilibus. Et *Cottonus* docet, civiles leges ab hominibus conditas, non ultra hominem obligare, quam ratio Legis eum obliget & conſcientia. Jugum Legis judicialis denuo imponunt cervicibus Magiſtratus, & in pace & in bello, ſine ulla diſpenſatione vel in addendo vel in ſubtrahendo. Verum quidem eſt, quod *Cotton* hoc limitet ad eas Leges judiciales, quæ moralem æquitatem in ſe contineant. Sed hæc moralis æquitas ab eo, ut William teſtatur, ad tot particularia extendi ſolet, ut tota Lex *judicialis* reducenda ſit. *Nono:* an ulla Reformata Eccl. miniſtros facit membra ſupremæ Curiæ civilis, cum poteſtate ſententias dicendi in electione Magiſtratus, & Leges civiles ex Scriptura compilandi? Magiſtratum miſere illudunt, & contradictoria ei perſuadent. In Nova Anglia perſuadent Magiſtratum, ut occidat omnes *Idololatras* & *hæreticos*, etiam integras civitates cum viris, fœminis, infantibus exſcindat. In Veteri Anglia doctrinam diametraliter contrariam ſuſtinent. Nam hic *Theomachiam* faciunt; & magiſtratui denegant vel minimam poteſtatem contra craſſiſſimos Idololatras, Apoſtatas blaſphemos, ſeductores & hoſtes Religionis. Itaque tolerari volunt *hæreſes, ſchiſmata, Iudaiſmum, Turciſmum*,

cismum, *Paganismum*, & quicquid monstrosi erroris ortum est, orieturve. Denique propendent ad omnis generis hæreses. Ad *Arminianismum*: dum docent realem sanctificationem omnium baptizatorum infantum. *Enthusiasmum*: dum contemplantur Deum sine Scriptura. *Libertinismum*: dum Deum faciunt authorem ἀνομίας. *Antinomicos*, *Montanisticos* & *Familisticos* errores fovent; nec Socinianis destituuntur. Declarant, se neminem velle ejici ex Ecclesia, propter errores qui non sint fundamentales. Quo usque autem hoc fundamentum extendere velint, quis scire potest?

LII. Petierat Synodus à dissentientibus fratribus (ita tum vocabantur Independentes numero septem) ut regiminis sui formulam exhiberent. Cum hoc diu & per multos menses frustra exspectatum fuisset, tandem *Thomas* Goodwin, *Ieremias* Burroughes, *Guilh.* Greenhill, *Guilh.* Bridge, *Philippus* Nye, *Sidrak* Simson, & *Guilh.* Carter, exhibent Synodo *Remonstrantiam*, quam vocant, qua exponunt caussas, cur *nec possint*, *nec velint*, *Synodo exhibere formam regiminis sui*. Hæc charta fuit ab ipsis communicata aliis, & clam typis excusa, magno cum Synodi præjudicio. Scopus ejus fuit, persuadere populo, quod semper parati fuerint profiteri, quid sentiant de regimine Ecclesiæ. Huic libello Synodus

dus respondere coacta fuit, quam multis injustis aspersionibus onerabant. Ostenditque in responso suo, quam de die in diem, de mense in mensem tergiversati sint, nec promissis de exhibenda forma steterint, sed cavillati statum Quæstionis, latibula quæsiverint ac subterfugia. Synodus gravissimam responsionem his verbis claudit: *Existimamus fratres non destitui justa causa, cur formulam regiminis sui exhibeant Synodo; sed eos vana prætendere, ac latere aliquid sub hoc tectorio. Fortasse nondum ipsi constituerunt, cui insistant firmiter; quia reservant sibi libertatem mutandi & retractandi, quod exhibita semel forma tam commode vel honorifice fieri non posset.* Vel non convenit *ipsis inter se.* Facilius est consentire in negando, quam affirmando. Vel *si hi septem conveniunt*, alii fortasse fratres ipsorum, quibus formula hæc communicata fuit, *dissentiunt.* Vel si *& hi consentiant, nolunt offendere eos à quibus subsidium sperant.* Vel exspectant aliam opportunitatem evulgandi sensus suos, *Synodo dissoluta, ut ne respondere possit ipsis;* Presbyteriis introductis, quæ displicitura credunt populo, & tum tempus fore scribendi arbitrantur. Quicquid hujus sit, committimus causam nostram Domino, qui amat veritatem & simplicitatem, & suo tempore deteget quæ nunc latent.

LIII. *Burtonus* contra Calaminum: *Vo-*

ciferantur Presbyteriani, *ut ostendamus iis formam & exemplar regiminis nostri.* Nos vero vociferamur, ut *seriam resipiscentiam agant, pro superstitionibus suis, cum subjecerunt se* Antichristianæ Hierarchiæ; juxta illud Ezechielis XLIII, 10, 11. Si fuerunt confusi, tum ostende iis exemplar. Ad quæ verba doctissimus ille & moderatissimus Calamius respondet: *Sensus horum verborum est*, neminem resipuisse à Prælatica conformitate, nisi Independentes & *Presbyterianos*, utcunque frequenter humilient se & deplorent suam Conformitatem, nihilominus quamdiu *non fiant Independentes*, nondum esse confusos, nondum resipuisse.

LIV. Quoniam hactenus in genere actum fuit de magno hæresium in Anglia incremento, & summa quoque turbonum Ecclesiæ orthodoxæ genera aperta: ideo nunc particularius cuncta errorum monstra in lucem protrahenda sunt. Facile enim concesserim, quod multi dicunt, Angliam receptaculum infamis ejusmodi credendi, scribendi, docendi licentiæ factum; sed & illud non ignorandum est, longe majora pietatis incrementa fuisse; & non habere omnes sectas, hæreses, schismata, quod uni illi summis viribus opponere queant.

Catalogus hic erit ingens, immanis & incredibilis. Cæterum haud quaquam dubitandum

bitandum eſt, quin ejuſmodi apud *Anglos* venditata ſint, & hoc communis totius regni experientia teſtatur. Habebis conflugem *horribilium* effatorum. Et hoc quoque ſtatuendum erit, non ullam eſſe ſectam, quæ omnia hæc profiteri auſit. Quædam *Enthuſiaſtas*, alia *Scepticos*, *Antinomos*, *Arrianos*, *Anabaptiſtas* reſpiciunt.

Hæ igitur opiniones ſunt, quæ ab anno cIↃ IↃ CXL. maxime tamen XLV. XLVI. XLVII. & ſequentibus, in Anglia prævaluerunt.

1. Scripturam non poſſe dici verbum Dei. Solum Chriſtum eſſe verbum Dei; Scripturam literam mortuam, nec majoris fidei quam humana ſcripta, & inventionem humanam.

4. Scripturam, ſive Ebræa, Græca, Anglica, &c. ſit, tantum eſſe humanæ authoritatis, nec poſſe revelare Deum; Itaque ſolum Chriſtum eſſe regulam obedientiæ.

3. Scripturam eſſe incertam & inſufficientem, nec ei fidem ſuperſtruendam.

4. Revelationes Dei non eſſe alligandas ad Scripturam, nec dimidium gloriæ Dei ſive in praxi, ſive doctrina adhuc revelatum; ſed exſpectandum, quid ulterius revelaturus ſit in corde noſtro.

5. Scripturam eſſe meram allegoriam, & quoad propria nomina, & quoad perſonas ac res; atque has allegorias eſſe myſte-

ria, & ſpiritualem ſenſum ejus.

6. Scripturam eſſe opus mere humanum, non vero peculiariter inſpiratum. Quod dicatur ſanctos ſcripſiſſe ex inſpiratione divina, id non de alio Spiritu intelligendum, quam à quo fluunt aliæ actiones humanæ, & in quo vivimus, movemur & ſumus.

7. Scripturam V. Teſtamenti non concernere Chriſtianos. Itaque Sectarii rejiciunt teſtimonia V.T. & aliqui non legunt V.T. nec id compingunt cum novo.

8. Rationem ſanam eſſe Regulam fidei: & eatenus credendum Scripturis & doctrinæ Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, quatenus congruunt rationi; non aliter.

9. Novum Teſtamentum non obligare ulterius ad credendum, quam Spiritus in præſens revelet eum locum eſſe verbum Dei.

10. Scripturam in vulgata Lingua ſine expoſitione in Eccleſia prælegere, pejus eſſe quam Latinam populo prælegere. Hanc enim nec nocere, nec prodeſſe.

11. Deum eſſe authorem peccati, quatenus eſt & ἀνομία & ἀταξία.

12. Omnia mendacia eſſe ex ore Dei.

13. Hanc eſſe voluntatem Dei, ut inde ab adventu Filii ejus, ſit permiſſio Paganæ, Judaicæ, Turcicæ, Antichriſtianæ Religionis, nec niſi verbo Dei contra eas pugnandum,

dum; & peccatum ſine comparatione maximum eſſe in Magiſtratu, uti coërciva poteſtate contra conſcientias; Magiſtratum ne quidem ob blaſphemias, etiamſi Deus & Scriptura negaretur, quenquam punire poſſe.

14. Neminem propter peccatum damnari; ſed quia Deus ita velit.

15. Hominem habuiſſe vitam, antequam Deus inſpiraret eam; & id quod inſpiravit, fuiſſe partem eſſentiæ divinæ, ac ad Deum reverti.

16. Deum æqualiter diligere contemtiſſimam creaturam, ut bufonem, atque ſanctos ſuos.

17. Nullum alium Spiritum eſſe, quam Deum; & Principem aëris qui regnet in filiis inobedientiæ, Deum eſſe.

18. Deum non decreviſſe omnes actiones hominis: quia homines agentes decreta Dei non peccent.

19. Deum nunquam eſſe iratum, vel pœnitere; alias mutabilem fore.

20. Non eſſe Electionem particularem, ſed generalem ſub conditione perſeverantiæ; nec Scripturam ullibi loqui de reprobatione.

21. Animam cum corpore interire; & omnia, excepto Deo, finem habitura.

22. Quamlibet creaturam initio Deum fuiſſe & eſſe: Vitam eſſe ſpiritum Dei revertentem ad Deum: & Deum abſorbere

eum ſicut gutta ab Oceano abſorbetur.

23. Ad ſalutarem cognitionem Dei non ſufficere Deum noſſe ex libro Naturæ vel Scripturæ: ſed eum eſſe noſcendum abſtracte à miſericordia & omnibus aliis attributis.

24. In unitate Dei non eſſe Trinitatem.

25. Non tres perſonas eſſe in Deo, ſed tantum tria officia.

26. Unam tantum in Deo perſonam.

27. Chriſtum non eſſe Deum verum & eſſentialem, ſed nominalem; nec per æternam generationem, ſed quatenus ſit homo.

28. Chriſti humanam naturam æque ac noſtram peccato Originali eſſe corruptam: Chriſtum à nativitate uſque ad mortem eandem originalem corruptionem ac nos habuiſſe. Eum tam ſuſcepiſſe in naturam ſuam peccatum noſtrum, quam carnem; nec ſanctiorem, quam nos ſimus. Contrarium pugnare cum honore Dei & conſolatione ſanctorum.

29. Magna nos exſpectaſſe à quodam crucifixo Jeſu, ſed id nihil prodeſſe. Debere eſſe Chriſtum formalem in nobis Deitatem unitam humanitati noſtræ. Chriſtum nil aliud egiſſe in hoc mundo, niſi quod XXXII. annos vixerit. Benedictum eſſe illum, qui nunquam confiſus ſit crucifixo Chriſto.

30. Chriſtum fuiſſe verum hominem

cum

cum crearet nos, imo ab omni æternitate. Et, etiamsi non habuerit carnem, tamen eum esse verum hominem sine carne.

31. Christum pro omnibus hominibus æqualiter mortuum tam sufficienter quam efficaciter, tam pro Juda quam pro Petro.

32. Per Christi mortem omnia omnium & singulorum hominum peccata, commissa contra moralem legem & primum fedus, actualiter esse remissa. Et hoc esse æternum Euangelium.

33. Christum tantum satisfecisse pro peccatis contra primum fedus, non vero secundum, velut incredulitatem. Eum non esse mortuum pro ullius infidelitate.

34. Christum tantum mortuum pro peccatis præteritis, antequam Euangelium reveletur peccatis. Pro peccatis post conversionem commissis Christum non mortuum, sed ea remitti per ejus continuum & juge sacrificium.

35. Quemlibet pro peccatis contra secundum fedus satisfacere, nim. pro infidelitate: ita ut pro unius anni infidelitate homo ferat unius anni iram; & hanc esse totam satisfactionem quam Deus requirat, juxta illud; qui non credit, ira Dei manet super illum.

36. Neminem damnatum iri, nisi ob solam incredulitatem.

37. Gentiles qui nunquam audierint de Christo, tamem habere Euangelium.

Nam quamlibet creaturam, Solem, Lunam, Stellas, prædicare Euangelium hominibus; in ipsis revelatam esse cognitionem Christi crucifixi; & Remissionem peccatorum, si modo viderent eam.

38. Gentiles qui pereant, perire tantum propter incredulitatem; quia non credant Euangelio quod habent.

39. Christum pro nemine acquisivisse vitam & salutem, ne quidem pro Electis. Nam non fuisse finem Dei, per adventum Christi acquirere amorem & vitam; sed ipsum Christum fuisse acquisitum per amorem, ut faceret nos amare, & redimeret nos ad amandum. Nam Christum venisse, non ut reconciliaret Deum homini, sed hominem Deo. Etiamsi enim Christus proponat vitam & amorem: tamen non acquisivit eum, verum acquisitus fuit per eum.

40. Christus venit in mundum, ut declararet amorem Dei erga nos; non ut satisfaceret Deo.

41. Unctio illa, 1 Joh. 2. 20. una & eadem est cum *the Christhood of Christ*.

42. Christum fuisse Legis præconem, ac vixisse in tenebroso ævo. Demum post adscensionem ejus prædicatum Euangelium.

43. Christum mille annis visibiliter, ut Monarcham terrenum, regnaturum, destructis omnibus Imperiis.

44. Et

44. Et tunc, ſublatis omnibus hoſtibus, Eccleſiam Judæorum & gentilium victuram in pace: omnes Chriſtianos fore ſine peccato, verbo, ſacramento; & hos mille annos tranſituros in mundanis deliciis, quaſcunque creaturæ liberatæ à ſervitute ſua præbere poſſint, generando liberos, edendo, bibendo, ludendo.

45. Homines poſſe ſervari ſine Chriſto. Etiam Ethnicos ſervari, ſi colant Deum pro modulo ſuo, quanquam nihil audiverint de Chriſto.

46. Minimam veritatem plus eſſe, quam ipſum Chriſtum.

47. Chriſtus per mortem ſuam liberavit omnes à temporali morte, quam peccatum Adami tantum meretur, acquirendo iis reſurrectionem & viam veniendi ad patrem. Et ſic mortuus eſt pro omnibus, aliter pro nullis.

48. Spiritus Dei non habitat nec operatur in ullis. Non eſt alius Spiritus qui operatur, niſi noſter proprius.

49. Eundem Spiritum eſſe qui operatur in filiis inobedientiæ, & ſanctificans corda fidelium.

50. Eſſe perfectionem in hac vita non per verbum, Sacramenta, vel alias ordinationes Dei; verum per experientiam ſpiritus in ipſo homine.

51. Hominem baptizatum Spiritu ſanctô noſſe omnia, ut ipſe Deus, quod ſit

magnum myſterium, & magnus Oceanus, qui non habeat fundum.

52. Si quis per ſpiritum ſciat ſe eſſe in ſtatu gratiæ, etiamſi cædem committat vel ebrietatem; Deum tamen non videre peccatum in eo.

53. Sanctificationem non eſſe notam juſtificationis, & omnes notas ac ſigna Chriſtiani ſtatus eſſe legalia & illegitima.

54. Fideles non habere inhærentem ſanctificationem, nec ſpirituales habitus gratiæ infuſos in corda eorum ſed omnem ſanctificationem eorum eſſe inhærentem in Chriſto, & propter hanc ſolam eos dici ſanctificatos in Scriptura.

55. Adamum etiam in ſtatu innocentiæ moriturum fuiſſe morte naturali, nec mortem eſſe fructum peccati in fidelibus.

56. Imaginem Dei tantum conſiſtere in facie hominis, tam in impiis quam piis.

57. Adamum & homines in eo non amiſiſſe imaginem Dei per lapſum, ſed tantum incurriſſe mortem temporalem, quæ protracta fuerit ad tempus, promiſſo Salvatore.

58. Non eſſe originale peccatum in nobis. Solum Adami peccatum fuiſſe originale.

50. Peccatum Adami nemini imputari, nec quenquam propter id puniri.

60. Nullum hominem magis eſſe ſpiritualem altero, nec ullam talem inter-

nam

nam differentiam esse inter hominem & hominem; omnem differentiam esse externam in verbo, quod ducat quosdam, & non alios.

61. Omnes quibus prædicetur Euangelium, eo ipso immediate & ex seipso posse credere.,

62. Non esse Liberum Arbitrium nec ad bonum nec ad malum, nec in statu naturæ, nec gloriæ.

63. Hominem posse resistere gratiæ, & gratiam, quæ convertat unum hominem, non conversuram alterum.

64. Naturalis homo potest facere ea, quibus Deus annexuit gratiam & acceptilationem; & homines, si pro extremo virium quærant gratiam, eam inventuros.

65. Regenitos posse totaliter & finaliter deficere.

66. Moralem Legem nullum plane in fidelibus usum habere, non esse Regulam vitæ fidelibus, & fideles esse liberos à mandatis Legis.

67. Justificatós non per fidem justificari, sed ab omni æternitate.

68. Neque fidem, neque resipiscentiam, nec abnegationem sui, nec alia opera esse officium Christiani hominis.

69. Veram fidem esse sine omni dubitatione salutis; & qui dubitet, eum nòn credere.

70. Tò credere, sive fidem proprie imputari

putari ad justificationem, non vero Christi justitiam.

71. Doctrinam resipiscentiæ esse saluti animarum inimicam.

72. In Veteri fœdere Resipiscentiam fuisse medium obtinendi R. P. & R. P. secutam contritionem. Sed sub Euangelio aliter se rem habere.

73. Æque possibile fuisse Christo peccare ac fideli cuivis.

74. Non debere esse dies jejuniorum sub Euangelio.

75. Deum non affligere suos propter peccata; & etiamsi fideles peccent quantum possint, etiam est fons apertus in quo se abluant; nec propter peccata fidelium, sed infidelium, terram puniri.

76. Fidelium non esse prospicere, ne peccent; Deo prospiciendum, si velit.

77. Deum æque amare suos propter bona malave opera, tam peccantes quam bene agentes; nec quenquam æstimare meliorem propter bona, deteriorem propter mala opera.

78. Fideles non debere humiliari propter peccata post conversionem, & factum Petri ex infirmitate fidei ortum.

79. Fideles non debere à Deo remissionem peccatorum petere. Esse blasphemiam, si fidelis petat R. P. & Davidem in eo lapsum.

80. Abrahamum, cum negaret Saram esse

esse uxorem suam, & aliud simularet, nihilominus perfecte sanctum & justum fuisse in conspectu Dei.

81. Vocatos habere peccata in carne & conversatione, sed non in conscientia. Nam veram fidem in electis, & peccata in conscientia, non magis consistere posse, quam lucem & tenebras: & sic reconciliant Scripturas illas: *si dixerimus*, &c. 1 Joh. 1. 8. & : *qui natus est ex Deo, non peccat.*

82. Magnus Antichristus est mysticum illud corpus, quod opponit se Christo; non Papa Romanus, vel particularium virorum successio. Papa tantum est pars Antichristi. Quidam Antichristum faciunt eos qui se opponunt erroribus Antinomorum; alii eos, qui negant Christum pro omnibus mortuum: alii Magistratum coërcentem sectarios.

83. Animam hominis esse mortalem ut brutorum; & mori cum corpore.

84. Animas fidelium dormire usque ad diem judicii; nec capaces esse ullius actionis pro Deo, sed esse iis velut suaviter somniantibus.

85. Corpora fidelium non resurrectura eadem; sed animas earum habituras alia corpora, vel per creationem, vel per productionem ex materia Homines nihilominus fore eosdem, quia anima eadem sit.

86. Infantes non resurrecturos: quia non sint capaces cognitionis Dei; ac per con-

consequens, nec fruitionis.

87. Perfectionem & Resurrectionem, de qua agat Paulus 1. *Cor.* 15. 51. *& seq. ad* 57. fore in hac vitia, & eo pertingendum ante mortem.

88. Nullas sanctorum animas esse in cœlo, ubi Christus sit: sed cœlum illud fore vacuum, usque ad resurrectionem mortuorum.

89. Nec resurrectionem, nec cœlum, nec infernum, nec Diabolum post hanc vitam esse.

90. Fore omnium, quæ unquam vixerint, brutorum resurrectionem. Quodlibet individuum cujusvis speciei resurrecturum. Et hæc bruta victura in æternum in hac terra.

91. Non esse infernum, nisi in hac terra; & hic infernus sunt legales terrores in hominum conscientiis.

92. Non esse Ecclesiam Christi in terra, nec ministerium, nec Sacramenta, nec Euangelium, nec fidem; quia non sint dona visibilia, vel infallibilia.

93. Neminem damnari, nisi propter contemtum Euangelii, & neminem posse contemnere Euangelium, nisi quibus prædicetur, sicut Apostolorum tempore factum, per miracula.

94. Puram prædicationem verbi, & sacramentorum administrationem, non esse notas veræ Ecclesiæ visibilis.

95. Mi-

95. Miracula debere conjungi cum Euangelio, & qui prædicant Enangelium, eos debere miracula edere.

96. Multos Chriſtianos hoc tempore habere majorem cognitionem, quam Apoſtolos; & ubi tempus venerit erigendi veras Eccleſias, tunc fore majora dona & majora miracula, quam tempore Apoſtolorum; quia tunc Eccleſia tantum fuerit in infantia ſua.

97. Non nunc deberi conſtitui Eccleſias, prædicari verbum, adminiſtrari Sacramenta; ſed exſpectandam Eccleſiam, & ad quodlibet tempus debere nos eſſe paratos, ac inquirere ex quovis peregrino quamlibet opinionem & doctrinam. Sanctos ac viatores ambulare in fumo templi, nec poſſe invenire religionem. Ideo exſpectandum Spiritum, ut Apoſtoli fecerunt.

98. Eſſe ſalutem revelandam poſterioribus temporibus, ipſis Apoſtolis ignoratam.

99. Brevi Deum ſuſcitaturum Apoſtolicos homines, extraordinario ſpiritu & infallibilibus donis præditos, & hoc præceſſurum ruinam Romæ.

100. In articulis fidei nihil certo eſſe credendum & ſtatuendum, ſed omnes debere habere libertatem conſcientiæ & prophetiæ.

101. Scripturas nullibi loqui de Sacramentis, nec de nomine, nec de re.

102. Fœdus, cujus ſigillum circumciſio, tan-

tantum habuisse temporales promissiones, ut terram Canaan. Fœdus cum Abrahamo initum, nihil spirituale habuisse. Circumcisionem fuisse sigillum justitiæ fidei, non aliis, quam soli Abrahamo quatenus pater; non vero filiis ejus.

103. Baptismum non esse signum vel sigillum gratiæ federalis.

104. Pædobaptismum esse illegitimum & Antichristianum; & æque licitum baptizare felem, vel canem, quam infantem fidelium.

105. Æque licitum esse transgredi ullum ex decem præceptis, occidere, furari, adulterium committere, quam baptizare infantem.

106. Omnibus concionantibus discipulis, etiamsi ministri non sint, licitum esse baptizare.

107. Etiam non baptizatos, & privatos, tamen posse baptizare & docere.

108. Miracula esse essentialem partem administrationis baptismi, de quo *Matth. cap.* 28. 19.

109. Nullos admittendos ad Cœnam, ne quidem sanctos & fideles, nec baptizandos liberos eorum, nisi sint in via Ecclesiastica.

110. Nullam Scripturam vetare, quo minus idem multoties baptizetur: nec magis hoc illicitum, quam Cœnam iterare sæpius.

111. Ver-

111. Verba, *Hoc est corpus meum*, literaliter intelligenda.

112. Recipientes Cœnam operto, administrantes aperto capite esse debere.

113. Æque necessarium esse membrum Ecclesiæ, ac Christi; nec quenquam posse salvari, nisi sit membrum Ecclesiæ.

114. Ecclesiam Anglicanam esse Antichristianam & Diabolicam, & absolute illicitum ministros ejus audire.

115. Ecclesiam Romanam aliquando fuisse veram Ecclesiam, Anglicam nunquam. Unde probabilius sit, Ecclesiam Romanam tueri veram doctrinam de Libero Arbitrio, universali Redemtione, Peccato Originali, quam Ecclesiam Anglicam.

116. Vocationem & ordinationem ministrorum non esse de jure divino; sed ministrum fieri sicut Mercator, Bibliopola, Sartor & alii opifices.

117. Omne statutum stipendium pro ministris Euangelii, maxime tamen decimas esse illicitas, Judaicas, Antichristianas.

118. Ministros debere laborare & exercere munus aliquod, ne sint graves Ecclesiæ.

119. Non debere esse distinctum ordinem ministrorum, sed omnes qui dona habent, ordine, cæteris eligentibus, concionari, orare, baptizare. Et tunc quisque sua vice minister, & loco ministri est.

120. Om-

120. Omnes dies Christianis esse pares: nec magis nos alligatos ad diem Dominicam, quàm ad aliam.

121. Judaicum Sabbathum hodieque observandum.

122. Christianos non teneri singulis septimanis constanter convenire, vel precari & concionari tanto spatio, juxta consuetudinem gentium.

123. Culibet licitum prædicare Euangelium.

124. Licere fœminis concionari; cum habeant dona ut viri.

125. Partem libertatis Christianæ esse non audire proprium ministrum, sed ubi libeat, & à quo plus commodi speretur.

126. Illicitum colere Deum in consecrato loco, & ubi Idololatria exercita; velut in templis.

127. Concionandum & dona exercenda sine studio prævio & præmeditatione; nec cogitandum, quid dicas antequam dicas: quia Spiritus eo momento revelabit.

128. Non opus esse eruditione humana, vel lectione authorum. Omnes libros & eruditionem exscindendam. Quod tanta volumina scribunt, & eruditionem adeo extollunt, ex inopia spiritus.

129. Quædam mulieres illicitum putant, quenquam audire concionantem publice vel privatim; quia non debeant esse

simi-

ſimiles illis apud Timotheum mulieribus, 2 Tim. 3. 6. 7. *ſemper diſcentibus, & nunquam ad cognitionem venientibus.*

130. Plane illicitum eſſe concionari tanquam in Eccleſia, ſed eatenus licet, ſi concioneris ut exſpectans diſcipulus. Id eſt, Chriſtianis non licet concionari poſitive, ponendo & aſſerendo certi quid; ſed tantum conferendo, arguendo, diſputando.

131. Illicitum Cœnam recipere, ubi ulli præſentes impii.

132. Sic illicitum precari, ubi impii.

133. Sic illicitum precari etiam privatim cum illis, qui non ſunt membra veræ Eccleſiæ, ſed Anglicanæ.

134. Utcunque licitum ſit conferre & loqui cum omnibus: tamen illicitum eſſe cum illis, qui non ſunt ejuſdem opinionis (etiamſi cætera pii ſint, & membra Eccleſiæ alicujus) vel ante cibum orare.

135. Illicitum eſſe precari cum aliis utcunque piis & ejuſdem opinionis, publice privatimve, niſi tales perſonæ habeant infallibilem ſpiritum, ut Apoſtoli. Hæc opinio admodum invaleſcit, & multi omnes in Eccleſia preces omittunt, tantum diſſerentes & loquentes ad populum.

136. Chriſtianos non teneri conſtanter qualibet die orare ſtato tempore, mane, veſperi, ſed cum Spiritus movet eos; etſi multis ſeptimanis non ſentiant inſtinctum, tamen

tamen non esse orandum.

137. Impiis plane non esse orandum.

138. Cantiones sacras & Psalmos Davidis non esse canendos.

139. Cantiones, quas Christiani debeant usurpare, esse hymnos ab ipsis compositos proprii spiritus ductu; & eos pro specialibus occasionibus esse canendos in Ecclesia, cæteris silentibus.

140. Agapas, cum quibus Cœna celebranda, esse perpetui juris, & sola membra Ecclesiæ iis interesse debere.

141. Regimen Ecclesiæ esse mere civile.

142. Sex septemve unitos fœdere Ecclesiastico ut membra, habere absolutam potestatem clavium, & omne regimen in seipso, nec ulli classi Synodove subesse in ulla re.

143. Presbyteriale regimen esse falsum Prophetam & bestiam in Apocalypsi, & tertiam partem Romæ.

144. Esse hoc tempore visiones & revelationes, aliis magis frequentes, & in populo Dei fore communes paulo post.

145. Donum miraculorum non cessasse hoc tempore, & quosdam in baptizando ac alibi fecisse miracula, & populo Dei donum illud brevi restitutum iri.

146. Ungere ægros oleo per Presbyteros orantes & manus imponentes, esse ordinationem Ecclesiæ pro membris ejus & eo-

& eorum sanatione.

147. Ordinario hoc tempore Christianos cum Paulo in tertium cœlum rapi, & audire ineffabilia. Nec bene certos fidei suæ esse, qui non hoc experti sint.

148. Magistratui nihil negotii cum Religione esse debere, & rebus Ecclesiasticis, sed civilia tantum curanda.

149. Idololatriam esse, exspectare formam colendi Deum ab hominibus, Parlamento, Synodo.

150. Quoscunque errores Ecclesia in hominibus fert, non excommunicando, eosdem & Magistratus ferre debet non puniendo.

151. Populum posse à Parlamento rationes exigere; & illud ad rationem factorum adigere.

152. Si quod Deus mandat, etiam Magistratus mandet; Christianus non debet facere id, quia Magistratus mandat.

153. Tota terra sanctorum est, & omnia iis communia, & sancti debent bona divitum sibi vindicare.

154. Licitum viro uxorem dimittere propter aliquod vitium ac accidens, & virum in ea re summum judicem esse.

155. Bigamiam simultaneam esse licitam.

156. Liberos non teneri obedire parentibus impiis.

157. Parentes non debere catechizare

liberos

liberos ſuos docere eos legere Scripturas, precari,ſed debent eos Deo docendos committere.

158.Religio non eſt defendenda gladio. Ipſa ſe defendet.

159. Illicitum eſt pugnare pro Legibus & Libertate.

160. Illicitum eſt pugnare, vel occidere quenquam. Imo ullam creaturam occidere in uſum noſtrum eſt illicitum.

161. Idololatria eſt uti precibus præſcriptis.

162. Illud Davidis: Vermis ſum, & non homo; literaliter intelligendum. Imo eum & hominem & non hominem fuiſſe, in eodem literali ſenſu.

163. Scripturam tantum unius fidei meminiſſe.

164. Quidam ſectariorum Londini putant in Suffolcia Prophetam ſuſcitatum iri, qui prædicaturus ſit æternum Euangelium, eumque tantum exſpectare vocationem ex cœlo. Hunc exſpectant quotidie, tanquam illum Prophetam, 1 Joh. 25. Propheta diſtinctus à Chriſto & Elia, eſt ille vir Suffolcius.

165. Non poſſe conſiſtere cum bonitate Dei, damnare creaturas ſuas in æternum.

166. Deum Patrem regnaſſe ſub Lege, Filium ſub Euangelio; & nunc utrumque regnum tradere Sp. Sancto, eumque effuſum

ſum iri in omnem carnem.

167. Fore generalem redemtionem, qua omnes Deo reconcilientur & ſalventur. Tantum eos, qui nunc credant & ſancti ſint, gradu perfectionis ſuperiores fore cæteris.

168. Illicitum eſſe Chriſtianum Magiſtratum gerere.

169. Omnes creaturas in Adamo amiſiſſe tantum, quantum homines.

170. Chriſtum non acquiſiviſſe homini vitam & ſalutem; ſed tantum talem vitam, qualem quævis creatura cum eo habet. Nam ſecundum Adamum non acquiſiviſſe homini vitam æternam.

171. Euangelium ſpectare ad omnes creaturas; & hoc eſſe cum dicitur: *Euntes docete omnem creaturam.*

172. Directorium cultus eſſe contra ſecundum præceptum, & vitulum Jeroboami.

173. Nullum jam eſſe infernum, nec fore uſque ad diem judicii. Nam Deus non punit primo, deinde judicat.

174. Fidem non eſſe ſupernaturale quid. Nam videre nos ſufficientes rationes, cur aliquid credendum ſit. Credere aliquid abſque ratione, ſtultorum eſt.

175. Legis transgreſſio non punitur æterno igne, & in inferno; ſed Euangelii inobedientia. Si Lex: Ergo Chriſto in inferno moriendum fuiſſet pro nobis.

176. Si amor Dei tantum est erga quosdam; ergo non infinitus. Adscribere præteritionem quandam Deo, esse blasphemare nomen ejus.

177. Formulam baptismi: *Baptizo te in nomine Patris*, esse inventionem & traditionem hominum, non mandatum Christi.

178. Loca *Matth.* 28. 19. *Marc.* 16. 15. non de baptismo aquæ, sed doctrinæ intelligenda: & baptismum aquæ tantum in nomine Christi factum.

179. Uniformitatem in externo cultu esse Antichristianam, & partem mysterii iniquitatis.

180. Spiritualem Ecclesiam doceri per unctionem, carnalem per concilia. Tres duosve Christianos idem auxilium Spiritus Sancti habere, ac Synodum maximam; &c.

Hic est *brevis* catalogus præcipuarum hæresium & errorum, qui in Anglia tum temporis inter privatos vigebant, prout à *Thoma Edoardo*, Londinensium Pastore, libro cui titulum *Gangrænæ* fecit, exponuntur. Jam narrationes quasdam, ex eodem authore petitas subjungemus de horrendis sectariorum *blasphemiis*, quas hinc inde eructabant.

Londini mulier quædam multis audientibus dixit, *mendacia* esse in Scriptura; & homines ex Scriptura idolum facere. Locum

cum *Gen.* vi. 6. *mendacem* esse. Alius dixit, se historiam *Noachi*, irascentis Chamo propter conspectam nuditatem, confutaturum.

Mense Febr. cIↄ Iↄ c xlvi. quidam *Cozen* Rochestriæ in Cantio dixit, *Iesum Christum esse spurium; & si nunc esset in terra, ob multa quæ olim egerit, pudore suffusum iri.* Hæc cum idoneis testibus probata fuissent, in carcerem conjectus, & iterum sine pœna dimissus ac tum hæreticorum receptor factus fuit, qui eo ex urbe confluebant. Circa idem tempus, quidam *Cats* cum sociis suis Essexiam peragravit *baptizans* & *submergens* multos. *Billersceiæ* finita concione, circumsistunt ministrum, & eum quæstionibus ineptis vexant. Cumque minister eos ad se domum suam invitaret, ibi se satisfacturum dubiis promittens, ipsi in templo exclamare & vociferari: *Eum non prædicasse liberam gratiam.* Et *subsumus*, inquiunt, *Antichristo.* Antichristi ordo est, primo *baptizare*, dein *docere*, tertio *credere*; Christi vero *docere, credere, baptizare.* Et sic occasionem sumserunt publicandi errores suos de *universali gratia* & aliis capitibus. *Pædobaptismum* variis modis exagitant, nunc *felem*, velut infans baptizandus esset, fasciis involvendo, ac convocando vicinos ad baptismum. Quibus collectis, repente quis contra Pædobaptismum concionari inci-

pit. Multas *vetulas*, media hyeme fluminibus submerserunt, cum vitæ periculo; suntque haud paucæ eo modo exstinctæ. *Iuvenculas* silentio noctis ex ædibus paternis abductas, rebaptizabant. Si quis contra eos scribat, eum statim omnibus calumniis proscindunt. *Prynnium* deteriorem faciunt Laudo. Aliquando commenti Th. *Edoardum* mortuum, *Calamum* brachium fregisse, *Twissum* moribundum jacere: *Videte*, inquiebant, *judicia Dei?* Quidam Anabaptista dixit, *se prius cœlum & terram conflagrantes visurum, quam ut erigantur Presbyteria.* Alius; *hoc ex articulis fidei suæ esse*, intra *septem* annos nomen Presbyteriorum ne quidem auditum iri in Anglia. Alius: *se sperare Presbyteria æque conculcata fore, ac Episcopos.* Alius: *Si ita persequantur sanctos, tum aliud quid agendum fore.*

XII. Nov. cIↃ IↃ CXLV. circitur LXXX. Anabaptistæ Londini *Agapen* in domo quadam celebrarunt. Modus hic fuit: Initium à precibus factum. Iis finitis, omnes seorsim in genua procubuerunt, & quidam, singulis viris feminisque, manus imposuit, precatus ut reciperent Spiritum Sanctum. Scopus erat, qui post impositionem manuum receperint dona, eos in *Provincias* mittere, & in *plateas*, ac ad Parlamentum. Sed hanc missionem paulum differebant, visuri interim rerum suarum

suc-

successus. Cum mentio incidisset cujusdam *Pauli* Best, qui ob *Arianismum* in carcerem erat conjectus, quidam Independens minister respondit: *Carcerem nihil profuturum.* Cum regereret alter: *Quid ergo faciendum, si hic Arianus Ecclesiam colligat?* Respondit: *urge eum argumentis; coërcens potestas alia non est sub Euangelio.* Objiciebatur locus *Deut.* XIII. Responsum: *Christus hoc sub Evangelio mitigavit.* Adulterium sub Lege erat capitale: sed Christus adulteram dimittit. Denique eo res devenit, ut etiam Papistarum Idololatriam tolerandam palam jactent. Quidam civis Londinensis servum habuit petentem dimissionem. Interrogatus, quare? respondit: *Se velle frui libertate conscientiæ.* Interrogatus, in quo? *Nolo*, inquit, *imposterum catechizari.* In *Bedfordia* cum minister quidam resipiscentiam urgeret, *mulier* in concione surrexit, & dixit: *eum concionari mendacia ac falsas doctrinas.* Colcestriæ ministro quodam contra schisma concionante, sectarius clara voce exclamavit; *O quantus hic Diabolus est! quantus hostis populi Dei! Est ex Diabolo natus, concionatur blasphemias!*

Southamptoniæ quædam *Anabaptista* mulier somniavit *Christum sibi visum*, ab eo se perfumatam; & interdictum sibi, *ne infantem suum baptizaret.* Paulo post insana facta, exclamavit se videre & odo-

rari *Diabolum, sulphur, picem, ignes.* Quidam *Web* homo novæ Lucis, dixit, se *gratias agere Deo, quod nunquam confisus fuerit Christo crucifixo; neque se credere eum esse filium Dei; vel Scripturam verbum Dei, verum humanam inventionem, ineptam, quæ sit regula fidei & vitæ.* In confirmationem hujus dixit: *Scripturam esse aureum vitulum, & æneum serpentem, qui Regem contra Parlamentum, Parlamentum contra Regem, regnum contra regnum excitet: nec umquam bene in mundo fore, quamdiu non ille serpens æneus comminuatur.* Interrogatus, quid de Resurrectione mortuorum statuat, dixit: *Non magis homines resurrecturos quam bruta, nec aliam se animam habere quam corpus.* Spiritum tamen quendam esse in piis & impiis, qui ad Deum revertatur. Idem non agnoscit ullum locum pro piis, vel impiis, non *cælum*, non *infernum*, non *Diabolos* alios, præterquam quos ipsi homines faciant. Illicitum esse arbitratur in hominis usum ullam creaturam occidere. Ex *Anabaptista* factus est *Atheista.* Rigidus Independens erat, ac brevi sperabat futurum, & ut omnes Independentes sint ejusdem secum opinionis. Nam unum tantum gradum ipsis deesse ad novum illud lumen & veritatem. Scotos vocabat *Babylonicam* bestiam, & regimen *Presbyteriale*, Sacerdotum *monopolium.* Alius quidam Idiota seduxit

quin-

quinque filias unius viri, & eas rebaptizavit, ac sine parentis consensu nupsit. Alia Mulier volens rebaptizari, vestes suas exuit, ac coram immersore nuda constitit. Interea dum preces recitabantur, naturam suam utraque manu obtexit. Quod cum Anabaptista videret: *Incongruum est*, inquiebat, *ut tu manus tuas demittas, cum Christus eas & cor in cœlum erigi præceperit*. Sed ipsa pudore confusa, renuit; & sic baptizari non potuit. Mense Julio cIɔIɔcxlv. apud Ashfordiam in *Cantio*, novem mulieres in fluvio quodam demersæ & baptizatæ sunt. Quædam *ter* fuit immersa, quoniam aquas metuebat, sic ut totum corpus iis obtectum non esset. Tertia vice parum abfuit, quin suffocaretur. Ibidem senex quidam submersus, cum emersisset: *Per Dei pedes*, inquit, *parum abest, quin suffocassetis me*. Mulier ægra à quodam sectario Guil. *Kiffin* post manuum impositionem *oleo* inuncta fuit. Valetudine recepta, in congregationem venit; & coram populo: *Medici*, inquit, *me deseruerant. Sed frater Kiffin & patientia me inunxerunt; & sic subito convalui. Rogo, ut gratiæ Deo pro me agantur*. Idque factum est.

Alicubi Judaicum Sabbatum in usum revocarunt, fenestris clausis. Colcestriæ ipsum Judaismum propagabant, & Proselytos faciebant. Quidam *Henricus* Denne,

Anabaptiſta & Arminianus, Elſleiæ in Cantabrigienſi agro, omnem Pſalmorum decantationem abrogavit. Poſt concionem provocavit eos quibus non ſatisfactum, ad diſputationem; & illi objecerunt contra ea quæ dixit. Dicebat *æternum Euangelium hoc eſſe*, quod *Chriſtus pro omnibus mortuus ſit*. Alius Erbury Sectæ *Quærentium*, Edmundiburiæ concionans dixit inter alios errores: *Paulo poſt Deum Apoſtolicos viros excitaturum, qui extraordinarium concionandi donum habituri ſint; & tunc ſecuturam ruinam Romæ*. Loquebatur contra collectionem Eccleſiarum & Anabaptiſmum, dicens; *debere nos exſpectare adventum ſpiritus, ut Apoſtoli fecerint*. Sicut enim Iſraëlitæ in deſerto habuerint *mel* & *manna*, ſed non *circumciſionem* neque *Paſcha*; ſic nos habere multas dulces conſolationes, colloquia, preces, ſed non *miniſterium* & *Sacramenta*. Tandem *collapſa Roma, fore novum cœlum, novam terram, novam Ieruſalem*. Idem Northamptoniæ dixit; *Scripturam eſſe incertam, & non poſſe nos ei fidem noſtram ſuperſtruere; quia tot diſcrepantia ejus exemplaria ſint*.

Quidam Nicolaus Londini multas blaſphemias eructavit, ut: *Deum eſſe authorem peccati; & omnia mendacia ex ore Dei fluere, Neminem ob ullum peccatum damnari, ſed tantum, quia ſic Deo placeat*. Alius ad Grenhillum dixit: *æque licitum eſſe baptizare*

zare

zare canem ac infantem. Katharina Chidlei multos ad Brownismum seducens, acerrime invecta est in Grenhillum & alios, qui convenerant in locis ubi Idololatria fuit exercita. Ad quam Grenhil: *Hoc nimirum vis, illicitum esse colere Deum in loco, ad Idololatriam sub nomine alicujus Sancti, secreto.* Sed vide, tota *Anglia* fuit consecrata *Georgio*, Andreæ *Scotia*, aliæ regiones aliis sanctis; & sic, juxta te illicitum erit Deum in Anglia vel alibi colere. Marshal, homo ex plebe, in præsentia civium quorundam Londinensium sustinuit, Paulum, cum ad *Rom.* VII. conqueritur de corpore mortis, novitium fuisse, nec intellexisse Christum in promissionibus: & *se melius intelligere mysterium Dei in Christo quam Paulus.* De *scripturis* (dicebat) *non aliud existimandum, quam de aliis scriptis humanis. Quemlibet pro suo ingenio & judicio scripsisse.* Tum dixit: *Scriptura est vitulus aureus, circa quem saltatis.* Idem esse *infernum* negat & *omnes salvandos statuit*, sive *beni* sint sive *mali*; imo *omnes omnino creaturas*, quæ se ad Deum convertant. *Infernum nihil aliud esse, nisi terrores Legis in hac vita. Scripturam plenam esse contradictionum.* Illicitum *ullam creaturam occidere: quia habeat vitam à Deo.*

XXVII. Febr. CIↃ IↃ CXLIV. quidam schismaticus Londini prædicavit, *Christum non magis esse Deum, quam se vel alium*

hominem. Quod cum pii viri audirent, metuentes ne domus ad tales blaſphemias corrueret; feſtinanter ad ſua conceſſerunt. *Clemens* Wrigter, *Antiſcripturiſta*, *Quæſtioniſta*, *Scepticus* & *Atheiſta*, princeps erat eorum qui negant *Scripturas eſſe verbum Dei*, ſive in *originali*, ſive in *verſionibus* ſpectetur: nec fidem ei ſuperſtruendam. Idem negabat animam hominis eſſe immortalem: & cum homo excedit, tum totum ejus *dormire* dicit, uſque ad Reſurrectionem. Non aliam fidem Scripturis deberi, quam humanam; ſicut credamus hiſtoriam Henrici VIII. vel alterius Regis. Negabat eſſe *miniſterium*, *fidem*, *Euangelium*, niſi quis poſſit demonſtrare ſe æque immediatam vocationem ac Apoſtolos habere. Idem dixit, *neminem poſſe damnari, niſi propter rejectum Euangelium*. Neminem rejicere Euangelium, niſi cui illud prædicetur, ut tempore Apoſtolorum factum, & miraculis confirmetur.

In *Lincolnia*, *Ely*, *Hartfordia* erant *mulieres* quæ concionantur, & nonnullas etiam baptizare dicunt. Londini ſingulis ſeptimanis docent. Exemplum hoc eſto. *Menſe Decembri* A. cIↃ IↃ c XLV. Londini mulier plebeia concionata eſt. Primo dixit ad circumſtantes: *Si quis habet verbum exhortationis, loquatur*. Tacentibus cunctis, perrexit; &: *Nunc eſt*, inquit, *tempus illud, quo impletur quod Deus promiſit*: Effun-

Effundam ſpiritum meum in ancillas meas & prophetabunt. Tum precibus recitatis, quæ per dimidiam horam durabant, ad textum venit, qui erat: *Si diligitis me, cuſtodite præcepta mea.* Finita concione dixit: *Siquis habet, quod objiciat contra ea quæ dicta ſunt; loquatur.* Ad quæ dicta mulier alia ſurrexit, & varia protulit; ſed à circumſtantibus aliquoties interturbata fuit, ita ut deſiſtere cogeretur, cum multa prioris mulieris imprecatione, quod Legatos Dei turbarent. Ad quæ concio: *Voſne Legati Dei?* Denique tam horribilis confuſio ibi fuit, ut ſatis dici non poſſit. Et hæ muliebres conciones refertæ erant multis damnandis blaſphemiis. 1. *Non conſiſtere cum bonitate Dei, ut quiſquam damnetur.* 2. *Deum Patrem regnaſſe ſub Lege, Filium ſub Euangelio; nunc vero Sp. S. regnaturum & effuſum iri in omnem carnem.* 3. *Fore univerſalem inſtaurationem & ſalutem omnium.* 4. *Chriſtum pro omnibus mortuum.* Dicunt ſe eſſe in deſerto, exſpectantes effuſionem Sp. S. Soror quædam interrogavit: *quanam authoritate concionarentur?* Reſponſum: *Se non concionari, ſed tantum dona exercere. Nam neminem in mundo nunc poteſtatem concionandi habere.* Interrogata: *qua authoritate ſe exerceat?* Reſpondit: *ex* I. *Pet.* IV. 10, 11. & ad *Ebr.* III, 13. alter alterum exhortetur. Mal. III. 16, & Tit. II. 3, 4. *Senior*

xus: An ergo non ſunt peccata contra ſecundum fedus? *Sect.* Tantum infidelitas. *Orth.* Quis ergo ſatisfecit pro infidelitate? *Sect.* Quilibet homo pro ea ſatisfacit: quia qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum. *Orthod.* Ergo omnes gentiles ſalvantur, quia ipſis peccata contra primum fedus remiſſa ſunt; & contra ſecundum nunquam peccarunt, quippe nunquam ipſis revelatum. *Sect.* Ethnicis Chriſtus & Euangelium in *creaturis* prædicatur, *Col.* 1. 23. ſi modo habeant oculos ad videndum illa myſteria. Anno cIↄ Iↄ c XLIV. apud *Bathoniam* & *Briſtoniam* hæ duæ opiniones inter Anabaptiſtas tanquam glorioſum lumen, ortæ ſunt. 1. *Chriſti humanam naturam æque ac noſtram, peccato Originali corruptam.* 2. *Unam tantum Deitatis perſonam eſſe.*

LVI. Mores *Sectariorum* in Anglia tales ſunt. Habent omnes proprietates deſperatiſſimorum hæreticorum. Quando propter *ſcelera* doctrinæ & *vitæ* ad partes vocantur, cum *Donatiſtis* nil niſi *perſecutionem ſanctorum* & *fidelium* exclamant. Adoriuntur orthodoxos vi miniſque; ſuos in cœlum extollunt, aperto Jeſu Chriſti & Apoſtolorum vilipendio ac contemtu. Auditum à nonnullis; *hunc illumve Apoſtolos præcellere*: Ipſum *Ieſum Chriſtum*, ſi in terram reverteretur, *vix melius concionaturum*: *Vitam Angelicam* & (ut

(ut ſanctos) *in cœlo ſe vivere.* Subdole ſenſus ſuos occultant, nec aperte profiteri volunt quid ſentiant. Impudentia ſectariorum ſumma. Nonnulli pro *Independentia* ſua citabant Eccleſias *Scoticas* & *Gallicas*, quas conſtat ex profeſſo aliud ſentire. Alii pro prætenſa libertate conſcientiarum *Leidenſes* adducunt, diſputat. L. ſect. 59. 60. quos apertiſſimum eſt aliud ſentire. Joh. Goodwin in doctrina ſua de juſtificatione *Calvinum*, *Bucerum* & alios pro ſe citat, qui omnes orthodoxam ſententiam contra ipſum tuentur. Cum decretum de Presbyteriis erigendis promulgaretur, ſectarii impudenter Magiſtratum calumniati ſunt, quod *Leges contra ſanctos* condat. Alii concionabantur de ingenti quæ immineret *perſecutione*; & *tyrannidem Epiſcoporum comparatam cum Presbyteris, nihil fore.* Itaque in eo omnes ſectarii conveniunt, quod malint *Epiſcopos* quam *Presbyteros*; & primipili ipſorum profitebantur, *Epiſcopos & tolerationem ſibi ſatis facturam. Seipſos vocant* pios, bene affectos & ſanctos. Sive jam ſint *Anabaptiſtæ*, ſive *Quærentes*, Sancti ſunt. Omnibus annitebantur modis, ne *ſtabiliatur regimen*; vel ſaltem, ut *imperfectum* & *vagum* ſtabiliatur. In nonnullis Parochiis: ut *Elſlyæ* in Cantabrigia, *Alberyæ* in Hartfordia, omnem *Pſalmorum decantationem* eliminarunt, & alibi preces abrogarunt. Quod ſi

in

in loco quodam non possint Psalmos abrogare, tum eo quo decantatur tempore, contemtim pileos suos capiti affigunt; & si quis eos abripiat, denuo imponunt. Alii *aures solent occludere, imprimis fœminæ ne melodiam percipiant.* Multi quoque inter preces operto capite sunt. Pervagantur omnes Provincias, oppida, pagos, domos, & hæreses suas disputando propugnant. Clam inter se ita conveniunt, ut quidam simulent se pro pædobaptismo esse. Post acrem disputationem, tandem ille fucatus Antagonista dat manus, & profitetur coram populo, se convictum, ac veritatem sibi illucescere. Nonnulli *miracula* & *visiones* allegant. Anabaptistæ Eboracenses dicunt, cum quidam media hyeme in *Ousa* baptizaretur, *aquas tam calidas fuisse ac si media æstas esset*; imperitiores eo commento fallentes, qui ignorant *aquas in eo tractu hyeme calidiores esse quam æstate.* Alii inunctioni sanitatem adscribunt. Nonnullis Christus conspectus, prædobaptismum prohibuit. *Blasphemias* horrendas evomunt contra *Scripturam*, *Trinitatem*, *Prædestinationem*, Virginem *Mariam*, *Apostolos*, *baptismum*, *preces*, ministerium verbi, & *sacramentorum*, regimen Ecclesiæ. In Mss. cujusdam *Pauli Best*, Trinitas vocatur *mysterium Iniquitatis*, *Cerberus triceps*, *figmentum*, *traditio Romana*, plane ut olim Servetus blasphemaverat. Alii Sp. S. contume-

tumeliofiſſime derident, vocantes eum flabile numen. Cætera fileo. Scripturam vocant *vitulum* aureum, & *mendacem* librum. Locum *Gen.* vi. 6. ubi Deus *pœnituiſſe* dicitur quod hominem fecerit, eſſe falſum. Cum objiceretur cuidam locus ad *Rom.* vii. ubi Paulus de peccato conqueritur; reſpondit *Paulum novitium*, & hanc ejus *infirmitatem* fuiſſe. Paulum non recte intellexiſſe myſterium Dei in Chriſto, & ſe id melius intelligere. Locus *Gal.* v. 12. cuidam pro libertate conſcientiarum pugnanti objectus; qui reſpondit: *Apoſtolum ibi affectibus ſuis* indulſiſſe. *In Hartfordia* miniſter quidam locum Scripturæ oppoſuit Anabaptiſtæ. Anabaptiſta confeſſus eſt ſe non poſſe reſpondere, ſed hanc fuiſſe infirmitatem Pauli, & ibi eum caruiſſe ſpiritu. *Alius denegans* Reſurrectionem mortuorum, cum quidam ei opponeret Scripturam, reſpondit: *Hoc vobis, non mihi, Scriptura eſt.* Regimen Presbyterianum vocabant Diabolicum, Antichriſtianum, *beſtiam* in Apocalypſi. *Hugo Petrus*, famoſus ille ſcurra, Eccleſias Reformatas & Presbyteriales, fœdiſſimis dicteriis traducebat. In publica concione Londini, cum multa pueriliter & nugatorie effutiiſſet, ex voce *claſſes*, centum quinquaginta aſſes, CL aſſes, id eſt, CL aſinos fecit; ſicut olim ex nomine Cardinalis *Cleſel* Germani CL *eſel*, i.e. aſinos, fecerunt.

Idem

Idem *in concione 2. Aprilis* cIↃ IↃXLVI: habita, ſic loquitur: *Quod gladio cepiſtis, verbo conſervandum eſt. Loquor de verbo, per quod Angli Chriſtiani fiunt. in aliis regionibus diſciplina facit eos tales. Compelle multitudinem in templum, & poſtea Chriſtianos nomina. Satis abunde hujus furfuris foras. Et hinc fit, quod fere tota ipſorum Theologia in Polemicis ſita eſt, quæ mercatura, niſi Deus prævertat, & noſtra videtur futura.* Idem: *Metuo ne, dum Presbyterio veſtito authoritate pugnamus, deſint nobis* V cIↃ *miniſtri prædicatores. Vt ita ſi acquiratis Presbyterium Londini, & multum vobis egiſſe videamini, nec miniſtrum, nec Presbyterium in dimidio regno habeatis. Verum Presbyterium optari facilius quam haberi poteſt.*

LVII. Cauſæ auctarum hæreſium, ſectarum, & ſchiſmatum in Anglia hæ præcipuæ fuerunt. Si quis conſideret, in quantam multitudinem, quam exiguo tempore, hæreſes in Anglia, ſectæ, ſchiſmata cum erroribus & blaſphemiis excreverint; is jure mirabitur, ex quibus id cauſis factum ſit. Et illæ quidem ſatis manifeſtæ ex ipſorum ſectariorum naturâ dari ac oſtendi poſſunt. Quia enim dabant vagam quibuſvis *prædicandi libertatem* publice; hinc factum quod multi ex plebe, quibus aliqua verborum & rerum copia erat, in medium procederent, ac (ut loquun-

quuntur) dona exerceant, objiciant ac disputent publice contra ea quæ dicta sint. Tum aucti numero auditorum, & eorum applausu ad famam provecti, credunt se *maximos Ecclesiæ Doctores* esse; & cum antiquam ac solidam Theologiam nunquam didicerint, quicquid novum, plausibile, fucatum in pulpita protrudunt; & eadem aviditate ab auditoribus illa hauriuntur. Post hæc *libertas* conscientiæ & *generalis* toleratio ab illis sectarum fabris, velut careta, post quæ lateant, in medium proferuntur. Nihil est quod carni & vanitati humanæ magis arrideat, quam sibi religionem statuere; sibi Ephod & Sacerdotem comparare. Et favorem ex eo quoque sibi acquirebant nugatores illi, quod stipendia certa & decimas ministris subtraherent. Ex quo factum, ut qui ministros suos adeo vilipenderent, ut nec, quæ pro sustentatione illorum pii Magistratus constituerunt, solvere vellent, illi facile ad novas Religiones transirent. Accessit populare Regimen, quo singulæ congregationes Monarchicum jus, spretis Synodis Classibusque, sibi arrogabant. Maxime tamen ipsa doctrina, quam sectarii commenti sunt, eos tanto incremento per universam Angliam auxit. Quando enim populus audit, Deum tam *peccantes* quam *precantes* sanctos amare: *Non debere fideles sollicitos esse & anxios ob peccata, nec remissionem*

missionem eorum petere: quid mirum, si hæc nova & suæ libidini famulantia dogmata orthodoxæ fidei, sanctimoniam & resipiscentiam perpetuam urgenti, præferat? Nam & dum solos visibiles sanctos membra Ecclesiarum faciunt, magni alicujus zeli & eximiæ puritatis speciem præ se ferunt. Jam Chiliasticum illud dogma, *de regno Christi in hac terra*, facillime homines ad novas sectas abstrahit, ubi velut ad Sirenum scopulos, dulcedine promissorum, hærent. Independentes omnes mirifica sibi imaginabantur de illo regno. Quidam initium ejus ad annum cIɔ Iɔ cL. conjiciebant; quo tempore tantam crediderunt in Anglia felicitatem fore, qualis non ab orbe condito fuerit. Et, *ô si tunc*, dicebat quidam, *unum tantum diem vivere daretur! Non permutarem conditionem meam cum maximo Monarcha mundi.* Præcipui ipsorum Doctores persuasi sunt jam natum esse hominem illum, qui eos felices dies visurus sit; & ad summum non restare xx. annos. *Cottonus*, & alii in N. Anglia ministri, conventu habito, Apocalypsin propterea totam examinarunt, & collatis omnibus Scripturis existimant *tempus regni Christi in propinquo esse.* Arbitrantur autem ruinam *Antichristi* & *Turcarum*, conversionem *Iudæorum*, vocationem *gentium* universalem, præcessura proxime felices illos dies. Tum *omnia regna* *mundi*

mundi & Principatus abolitum iri, ac *filios Dei rerum potituros sub unico cœli & terræ Domino* Jesu Christo. Exstat in eam rem liber *Ioh. Archeri*, Pastoris quondam Independentium Arnhemensis; *de personali regno Christi in hac terra:* cujus tamen sententiam non in omnibus cæteri probant. Audiamus illum, qui novissime & doctissime scripsit pro hac causa, *Thomam Parkerum*, Pastorem Nuberiensem in Nova Anglia, in Expositione visionum ac prophetiarum Danielis. Probaturus per lapidem illum comminuentem omnia regna, non posse intelligi regnum inde usque ab adventu ejus: Tertio, *inquit*, regnum hoc comminuit omnia alia regna; sic ut exstinctis cæteris solum restet. Jam vero hic status non est exspectandus sub regno *patientiæ*, sive ante occasum Antichristi, cum omnia terræ erunt Domini & Christi ejus, *Apoc.* 11, 15, 18. Ostensurus per pedes ferreos intelligi Romanum Imperium: *Quinto*, inquit, *hoc regnum est destruendum per regnum sanctorum in fine temporum, atque ideo non potest accipi de alio Imperio, quam de Romano adhuc continuante sub Antichristo.* LAPIS est regnum sanctorum: & quod sit regnum constituendum in occasu Antichristi, probatur his argumentis. 1. Quia destruct omnia regna adversantia in toto mundo; quod non est exspectandum ante occasum Antichristi. Idem septimanas

ptimanas septuaginta ;incipit sub Papatu, sive à tempore *Waldi* & anno cIↄ c VI. sive à *Wiclefo* & anno cIↄccc LXX. Quod si, *inquit*, incipias eas septimanas numerare ab A. cIↄc VI. & *Waldensibus*, tum ultima hæc & dolorifica septimana incidit præcise in A. cIↄ Iↄ c XLIII. & medium septimanæ ejus erit anno cIↄ Iↄ c XLVI. à quo tres anni afflictionis ;cum dimidio ad finem percurrunt, & finiuntur plene anno cIↄ Iↄ c XLIX. Sed si septuaginta septimanæ incipiunt à *Wiclefo*, & anno cIↄ CCC LXX. tum finis non erit ante A. cIↄ Iↄ ccc LX. id est, demum post cc. annos. Sed utra supputatio sit amplectenda, fateor, *inquit*, me ignorare. Postea: Turcæ cessabunt esse soluti A.cIↄ IↄcXLIX. & anno sequente post casus ipsorum cum Antichristo sequetur, si prior supputatio vera. In inchoativo statu Novæ Jerusalem *Iudæi* convertentur, juxta prophetiam Rom. XI. & erunt extraordinariis donis induti, pro dilatione regni Christi super universum orbem. Sub finem respondet *objectioni*, qua curiositas illa circa annos reprehenditur *Actor.* I. 6, 7 *Matth.* XXIV. 37,42.1 *Thess.* V. 1,2,3. *Psal.* LXXIV. 9. *Luc.* XII. 40. *Marc.* XIII. 35. *Resp. ad Act.* I. 6. 7. Non licebat scire Apostolis, vel ulli, qui vivebat ea ætate: sed licet illis, qui vivunt ultima ætate. *Matth.* XXIV. 37. Impiis occultatur tempus, sed *sancti* intelligent, *Dan.*

Dan. xii. 10 Sicut Noah ſcivit tempus diluvii, ſed non mundus, *Matth.* xxiv. 37. *Gen.* v. 3. &c. Hæc igitur & ejuſmodi complura dogmata cum ſub magnificis titulis publicarent, facile ſimplices homines allecti ſunt. Quicquid enim errorum & hæreſium in Anglia eſt, id omne à ſectariis titulo *novi luminis myſteriorum* evulgatur. Itaque ſive S. Trinitatem oppugnent, ſive totam in dubium Religionem vocent; omnia hæc *novum lumen* ſunt. Multos ſimulatio fefellit. Nam illi Independentes, qui olim ſub Epiſcopis zeloſiſſimi fuerunt contra errores devios ab Orthodoxia, nunc inter tot monſtroſos errores ſilent, ut Burtonus, qui tantum contra Presbyterianos calet, cætera frigidus. Ex omnibus Independentibus, *inquit Th. Edoardus*, unum tantum novi, qui ſe ſectariis opponat. His ita perpenſis, facile creditur, quod idem author inquit, *corruptiones hodiernas in tantum excedere tempora Epiſcoporum, in quantum Oceanus Britannicus Rhenum.*

LVIII. De Eraſtianis, ſive Colemannianis. Sicut frequenter fieri ſolet, ut duobus de præda litigantibus tertius eam utrique eripiat; ita etiam Eccleſiis Anglicanis accidit. Nam cum inde *Presbyteriani*, hinc *Independentes*, pro ſuo quiſque contenderent regimine; factum eſt, ut interea florentiſſimas Eccleſias hæreticorum

& ſchiſ-

& schismaticorum lues devastaret; atque insuper tertia factio utrisque omnia eriperet. Idque ab *Erastianis* factum est, quam factionem *Politici* excitarunt, ejus ope Regimen, de quo velut Achilleis armis, infensissimo animo certabatur, sibi solis vindicaturi. *De origine* hujus sectæ antequam agam, operæ pretium erit, paucis ipsum *Erastum*, primum conditorem tertiæ hujus factionis, quæ nunc Angliam exercet, & quibus ad errorem illum actus fuerit causis, contueri. Idque *ex Historia Ecclesiæ Palatinæ*, quam Cl. Theol. *Henricus Altingius* olim publice in Academia Groningana nobis tum studentibus prælegit, ex cujus ore hæc refero. *Sic* igitur ille inquit: Circa A. cIↄ Iↄ LXV. nata est *Heidelbergæ* controversia de gubernatione Ecclesiæ, inprimis vero de *Excommunicatione*. Cum enim ejus usus adhuc omissus esset, *C. Olevianus* perpetuo urgebat, ut ad exemplar Ecclesiæ Genevensis disciplina quoque institueretur. Resistebant huic conatui inprimis *Christophorus Probus* Cancellarius, *Thomas Erastus* Medicus & Senator Ecclesiasticus, & *Adamus Neuserus* Pastor ad D. Petri, qui totam hanc gubernandi rationem ut *tyrannicam* improbabant: Inprimis *Erastum* eo consilio ductum putant, quod, cum Helvetius esset, nihil ab Helvetiis diversi in Palatinatum introducendum putarit. His initiis

initiis paulatim animi alienati. Interea Heidelbergam venit *Guilh. Witherus* Anglus, gradum Theologiæ petens; & in Thesibus suis XI. ac XII. de Disciplina Ecclesiastica egit. De his x. *Iunii* placide disputatum est. Cum solveretur conventus, *Erastus & Neuserus* se gravia contra illam materiam habere dixerunt. In eorum gratiam Disput tio XII. *Iunii* à *P. Boquino* repetita. Disputatum est acriter, absque tamen convicio. Cumque discedendum esset, *Neuserus* dixit: *Se doctrinam hanc oppugnasse tanquam falsam, & verbo Dei repugnantem.* Tum Erastus & Neuserus magis magisque se aperuerunt, & controversiam hanc ubique scripto ac voce oppugnarunt. In primis *Erastus* prolixe contra disciplinam scripsit, asserens *eam nec in V. nec in N. T. fundatam; adeoque neminem Ecclesia excludendum, nisi constet eum in doctrina errare fundamentaliter.* Apud exteros quoque conquestus est, disciplinam tyrannicam in Ecclesiam invehi. Mox detectum fuit *Neuserum* Arianismo & Turcismo obstetricatum, ac cum aliis ipse *Erastus* suspectabatur: qui propterea per annos complures sacra communione fuit abstentus; donec edita confessione ostenderet, se tantum controversiæ disciplinariæ implicatum fuisse; & ita Ecclesiæ Dei reconciliatus fuit anno cIɔ Iɔ LXVI. & anno cIɔ Iɔ LXX. institutum est Pres-

byterium virorum gravium ex *aula*, *Academia* & *urbe*, qui præessent Inspectioni Ecclesiæ & disciplinam moderarentur. Hæc ille.

Cum igitur contentiones tam acres essent inter duas factiones *Independentium & Presbyterianorum*, tertia à Politicis excitata fuit ambiguo consilio. Quidam *Colemannus*, Pastor Londinensis, videns paratos novaturientibus sectatores, & instinctu Politicorum, tertiam viam regiminis Ecclesiastici aperuit, ex Erasti lacunis haustam. Is vana prurigine motus, sparsit in concione ad Parlamentum habita, prima semina Erastianismi, & regimen Ecclesiæ Magistratui dedit, qui per *Interimisticos Commissarios* Ecclesiam gubernaret. Scotorum delegatos criminabatur, quod causa sint diffidiorum in synodo, & *Nationalem determinationem* secum attulerint. Ex horum numero se ipsi opposuit G. *Gillespy*, Minister Edinburgensis, cujus, contra Colemanni maledicas ineptias, eruditæ exstant dissertationes, quibus omnem Erastiani commenti iniquitatem aperuit. Post eum celeberrimus *Samuel Rutherfordius* ex professo Erastianismum, & quicquid pro eo tum ipse Erastus, tum Colemannus & alii, in Anglia attulerunt, refutavit. Mysterium sectæ hujus est, quod *omne regimen Ecclesiæ ad Magistratus civile arbitrium* defert. Cæterum,

rum, quanquam & synodus & pii quique in Anglia se huic intemperiei opponerent, tamen Politicorum consilia prævaluerunt; & *Erastianum* Ecclesiæ regimen stabilitum, quod *Commissarii Politici* exercerent. Qui exinde motus animorum secuti sint, & supra dictum est, & Anglia sensit. Nec evulgata Declaratio quicquam profuit, sed acrius omnino animos offendit. Independentes in sinu gaudebant, quasi exarmatis illo decreto Presbyteriis, in salvo omnia essent; cum tamen ipsorum quoque Independens regimen, illo decreto, manifeste sublatum esset.

LIX. Nulla Ecclesia magis à sectariis & schismaticis immunis fuit quam Scotica, & hoc beneficio Presbyterii, Classium, Synodorum. Independentes & Erastiani calumniis contra eas grassabantur. *Coleman Erastianus* illam calumniam protulit, quod Presbyterium Edinburgenum mulierem quandam proscripsisset. Cui respondens *Gillespius : est* (inquit) *calumnia*, mitissime loquendo, nihil charitatis in se habens. *Non est proscriptio in Scotia nisi per civilem Magistratum*, qui eatenus opem fert regimini Ecclesiæ. Criminabantur quod Scoticæ Ecclesiæ sint *rigidæ* & omnes in sua verba, mores, consuetudinem adigere velint, ipsæ nemini concedentes quicquam. Cui calumniæ respondens *Ley sect. 19. contra Saltmarshium* : *Ecclesiæ*

Scoticæ (inquit) ſemper *etiam erga diſſentientes fratres* humaniter & Chriſtiane ſe geſſerunt; & orbi notam fecerunt ſpem ſuam, deſideria & labores pro pace cum omnibus religioſis & fidelibus paſtoribus Eccleſiæ Anglicanæ. Et cum *Coleman* diceret, *Commiſſarios Scoticos ad Synodum Weſtmonaſterienſem veniſſe, non animo diſputandi & veritatem exquirendi, ſed ut judices & ſententiam laturos contra omnes diſſentientes* (ſic enim & exteros Theologos *Dordracum* veniſſe) Gilleſpius, vindicata obiter Synodo Dordracena ab hac criminatione; *Se non tantum miſſos* dicit *ut diſcant, verum & Scoticanas Eccleſias, ſi quid melius ex verbo Dei edoceantur, id libentiſſime recepturas. Et hujus* experimentum *nuper dediſſe, cum Synodus Nationalis in Scotia, quoſdam particulares ritus ejus Eccleſiæ ſeponendos cenſuit, pro arctiori uniformitate cum Eccleſia* Anglicana. Objiciebant etiam Scotis, quod promiſcue quoſvis etiam *rudes* & *ſcandaloſos*, ad ſacram Cœnam admitterent. Et hæc objectio Independentibus perpetuo in ore erat, quam etiam Colemam Eraſtianus repetiit. Cui ſic reſpondit *Gilleſpy*, in ſuo *Nihil Reſpondes*: Auſim dicere *multa millia* à Cœna arceri apud Scotos, tanquam homines *indignos* qui admittantur. Ubi ergo miniſter fui, aliquot *Centuriæ* rudium & ſcandaloſorum abſtentæ ſunt. Ordo Eccleſiæ Scoticæ

Scoticæ & Acta Nationalium Synodorum excludunt omnes *scandalosos*; atque hoc fit à piis ministris. *Si negligant quidam Archippi, rationem illi reddant.* Et cum Coleman in suo *Maledicis* regereret, *Hanc expurgationem Ecclesiarum recentem esse, & vix unius anni ætatem habere*, subjungit idem doctissimus vir, *Imo*, inquit, *& regula & praxis in Ecclesia Scotica fuit, excludendi rudes & scandalosos à Sacramento antequam natus esses, quanquam sub Prælatis omnia in desuetudinem abierint.*

LX. Id præcipuum Scoticæ Ecclesiæ privilegium fuit, quod refertur *In Præfatione ad Syntagma confessionum edit. Genev.* 1612. Est Ecclesiæ Scoticanæ privilegium *rarum præ* multis, in quo ejus nomen apud cæteras fuit celebre, quod circiter annos plus minus LIV. sine *schismate*, nedum *hæresi*, unitatem cum *puritate* doctrinæ retinuerit.

In Synodo Carentonensi Gallica cIɔ Iɔ c XLIV. 26. *Decembris* hoc decretum contra Independentes conditum fuit: *Quoniam delegati maritimarum Provinciarum retulerunt, multos exteros nomine Independentium, in hoc regno versari, qui docent quamlibet particularem congregationem suis legibus gubernandam, sine dependentia ab ullis aliis in Ecclesiasticis rebus, repudiata authoritate synodorum, classium, colloquiorum, magno in futurum periculo, nisi obviam eatur.*

Synodus metuens ex contagione hujus veneni turbas & confusionem, judicat eam sectam Independentium esse noxiam *Ecclesiæ Dei eousque, ut introducat confusionem, singularitatibus & extravagantiis fenestram aperiat, sublato omni remedio; eamque esse Statui periculosam, quod sic Religiones pro numero parochiarum multiplicari queant, omnibus Provinciis, maxime maritimis, mandat, videant ne illud malum in hoc regno radices figat, sed pax & uniformitas in Religione & disciplina inviolata conservetur, neve quicquam irrepat servitio Regis adversarium.*

LXI. Circa A. cIɔ Iɔ c XLIV. memorabilis inter principem *Woldemarum* Christianum, Regis Daniæ filium, & *Iosephum* Patriarcham Russiæ concertatio 22. Aprilis habita fuit, ex qua quis tum Græcæ Religionis in Russia status, clare perspici potest. Affectabat is conjugium cum *Irina* Michalewna, Magni Imperatoris, sive Tzari omnium Russorum filia: sed obstabat diversitas religionis, & quod Russi omnes à religione Græca alienos abominantur, neque conjugia cum iis iniri posse existimant. Ergo, *Iosephus* tum Patriarcha, Woldemarum ad Græcam sive Russicam religionem amplectendam adhortabatur, spem inde conjugii faciens. Præcipua controversia erat de adoratione Imaginum, quam Patriarcha, in septimo Conci-

Concilio Oecumenico Niceæ A. Iↄ cc LXXXVIII.habito, approbatam prætendebat, *Woldemarus* usum quidem stabilitum, sed *adorationem* ex verbo Dei negabat, ideoque Russos non authenticum in Græca lingua, sed perverse translatum exemplar Concilii habere. Cætera ritus & Ceremonias spectabant, pane *fermentato* vel *azymo* uti licitum, sed *vinum* aqua haud miscendum, de *jejuniis*, de *trina* in baptismo *immersione*. Patriarcha imprimis urgebat *rebaptizationem* Woldemari, eo quod baptismus sola *aspersione* factus illegitimus esset: Princeps vero baptismum Lutheranum legitimum & verbo Dei consentientem esse demonstrabat; ac semel baptizatum rebaptizari non debere. Patriarcha tandem Woldemaro offerebat: siquidem ad Russorum religionem transiret, & alicujus sibi peccati propterea conscientiam faceret, *se, cum toto sancto suo clero & Ecclesia, peccatum illud in se recipere, ac ab eo plene ipsum absolvere*. Cui in speciem favorabili conditioni Princeps ex Ezech. XVIII. prudenter respondit, unumquemque propriis peccatis onerari eaque portare debere; quod si tamen tanta Patriarchæ ejusque cleri sanctitas sit, ut alienis peccatis expiandis sufficiat, tum se rogare, ut peccatum *Zareunæ*, id est Russorum Imperatricis, & Irinæ Michalowitz sponsæ suæ, ac sua quoque Woldemari in se recipiat. Ita

conjugium absque peccato successurum. Hæc tum in causa religionis inter Russiæ Patriarcham *Iosephum* & *Woldemarum* acta referuntur. Ipse desperato successu, cum pro captivo haberetur & evadendi undique rationem captaret, tandem libertati restitutus, apud Vesaliam pro Hispanis pugnans, occubuit.

Sed neque hoc in transcursu prætermittendum. A. CIↃ IↃ CXLI. 23. Octobris *Hibernos* Papistas horribili laniena in Protestantes tota insula sæviisse, qualis quidem nunquam, ne inter Ethnicos quidem, admissa fuit. Plusquam ducenta hominum millia paucis mensibus illa rabies absumsit, ut nihil tormentorum & mortium reperiri potuerit, quod non illæ furiales bestiæ commiserint, solo religionis odio, & quod Papæ gratum se officium internecione Protestantium præstituros, vitamque æternam absque purgatorii flammis se consecuturos, ut Monachi sanguinolenti jactabant, crederent; rudibus omnis humanitatis facile ad omne nefas pronis. Quapropter totus inhorruit orbis, reperiri inter illos, qui Christiani dici volunt & quidem Catholici Romani, talia monstra, cum Rex *Carolus* stragem suorum innocentissimorum subditorum acerbe deploraret, & in rebelles latrones condignam expeditionem ultionemque meditaretur, quæ tamen civili bello infeliciter impe-

impedita fuit. Ea occasione Papa, per Nuncium suum *Ioh. Baptistam* Rinuccinum variis artibus regnum Hiberniæ affectavit, prætextu juris Apostolici in totum orbem & omnia regna hujus mundi, ipsis frementibus Papistis Hibernis, & artes illas in detrimentum coronæ detestantibus, prout hæc omnia prolixe in *Vindiciis* Catholicorum Hiberniæ exponuntur: nobis enim animus non est ejusmodi conatibus diutius immorari.

LXII. Sequitur nunc tragica & sanguinolenta persecutio Waldensium in Alpibus Lugdunensibus, qua Pedemontium respiciunt, à Ducis Sabaudiæ militibus A. cIɔ Iɔ clv. commissa. Tres ibi Valles, *Lucerna*, *Perosa* & *S. Martino*, jam ante Iɔ annos ab Euangelicis, Reformatam religionem profitentibus, quos *Waldenses* vocant, habitabantur, *Romanam* Ecclesiam pro *Apostatica* & *Antichristiana* habentibus, ut ex confessionibus eorum apparet & jam supra suo loco memoravimus. Quapropter crebræ contra eos persecutiones, imprimis sub Papa *Alexandro* III. A. cIɔ ccvi. postea A. cIɔ cccc. & cruentissima A. cIɔ cccc lxxxvii. sub *Innocentio* VIII. qui Waldenses penitus deleri & exscindi omni tormentorum genere voluit, misso eum in finem Legato suo & Commissario *Alberto* de Capitaneis. Sed Waldenses captis, pro sua justissima contra hos

 latro-

latrones defensione, armis à Principe suo *Philippo* VII. Duce Sabaudiæ, cui tanta crudelitas vehementer displicebat, non modo *veniam*, verum etiam libertatem impetrarunt, maxime postquam falsas & ineptas calumnias Monachorum contra Waldenses reipsâ deprehendisset. Quippe jactabant, *liberos Waldensium monstrosa esse forma, uno in fronte oculo & quaterna nigrorum dentium serie formidabiles aspectu.* Inde A. cIɔ Iɔ XXXIV. *Carolus* Dux denuo eos omni vi ac insidiis aggressus: & duravit illa persecutio sub *Francisco* I. Rege Galliæ cum Pedemontium sibi subjecisset, ac *Philiberto* Emmanuele; verum semper Waldenses natura locorum & angustiis Alpium, animo invicto fortissime se defenderunt, injustam vim armis repellentes, unde nova illis pax libertasque A. cIɔ Iɔ LXI. concessa, sed iterum A. LXV. infracta. Quod cum Protestantes in Germania intellexissent, Elector Palatinus *Fridericus* III. Pius, Legato *Iohanne* Junio A. LXVI. misso, insignem Epistolam ad Ducem Sabaudiæ scripsit, qua ostendit *crudelitatem Papæ Romani erga fideles & Reformatos, Principi Christiano & justo haudquaquam tolerandam, neque combustiones & martyria legitimam Religionis propagandæ esse viam: Sed cogitet sibi aliquando coram terribili tribunali Dei comparendum, & effusi sanguinis rationem fore reddendam. Abusus*

usus & errores Ecclesiæ Romanæ tam tetros esse & abominabiles, ut justam causam habeant omnes, qui salvari cupiunt, eos fugiendi, & quicunque eos propterea occidant & persequantur, hostes esse ipsius Dei, æternæ reos damnationis. Sed nulla apud Papistas poterat impetrari quies, qui Ducem Sabaudiæ continuis contra Waldenses criminationibus impellebant. Donec A. cIↃ IↃ LXXX. *Carolus* Emmanuel denuo pacem iis & tranquillitatem concessit; nec tamen illa stabilis fuit, sed subinde persecutio recruduit, maxime circa A. cIↃ IↃC XXII. XXXII. L. & cruentissime A. cIↃ IↃC LV. de qua nunc paulo largius agendum est.

LXIII. *Andreas* Gastaldus, nomine Ducis Sabaudiæ media hyeme, cum omnia gelu nivibusque rigerent, peremtorio edicto Reformatos *Lucerna*, *Lucernetta*, *S. Giovanni*, *La Torre*, *Bibbiana* & *Fenile*, *Campiglione*, *Bricheras*, & *S. Secondo*, quibus locis majores eorum per multa secula habitaverant, migrare intra *triduum* jussit, sub pœna mortis & confiscationis omnium bonorum, nisi intra *viginti* dies Catholici Papistæ fierent. Cum nihil apud persecutores precibus proficerent miseri, migrarunt, quod lamentabile spectaculum, cum uxoribus & liberis, cum decrepitis & ægrotis & quicquid erat mancum mutilumque, per aspera rupium nivibus & glacie candidarum, ventis pluviisque insuper se-

vientibus. Mox latrones furesque in eorum deserta habitacula grassantes cuncta diripere, diruere, arbores frugiferas succidere, & in horridam vastamque solitudinem redigere omnia.

Expulsi, contra Gastaldum apud Ducem supplices conquerebantur & restitui in sua petebant; sed frustra omnia: quippe falsis criminibus per subornatos quotidie magis magisque opprimebantur, & cædes iis sacerdotum objiciebantur, maxime pastoribus *Leger* & *Michelino*. Unde nihil toties repetitæ profuerunt humillimæ preces, consilio de *propaganda fide* & *extirpandis hæreticis* obstinate in sanguinolento suo proposito persistente; id quod paulo post apparuit.

LXIV. Quippe 17. Apr. A. cIↃ IↃ CLV. exercitus ingens ex toto Pedemontio & sex Legionibus Gallicis Hibernisque conflatus, in valles *Angrogniam*, *Villaro*, *Bobio* aliaque Reformatis habitata loca, furioso impetu irruit. Mox omnia flammis & ferro vastari, nec simplex mors miseris sufficiebat, inauditis tormentis excarnificatos lentis & dolorosis suppliciis enecabant. Nunquam à Diocletiani temporibus par crudelitas, à Christianis in Christianos patrata legitur, quemadmodum totam illam lanienam *Samuel* Morland integro volumine descripsit, & omnia fidis testibus, ipsorum quoque Papistarum, comprobavit.

Nam,

Nam, ut pauca tantum ex multis referam, capita *Barbetis* (ita in Pedemontio vocant Reformatos, quemadmodum in Gallia *Hugonotæ*, in Belgio *Geusii* dicuntur) præcisa & ahenis excocta devorarunt. Fœminis dissecti incurvis ficilicibus ventres umbilico tenus; aliis exsecta ubera, quæ igne frixa devorarunt. Naturalibus præcisis ardentem candelam admoverunt, ungues candentibus forcipibus evulserunt, semimortua corpora, caudis bestiarum alligata, ad mortem per aspera raptarunt. Leve hoc videbatur præcipitare ab altissimis rupibus, ubi sæpe corpora semiviva arboribus implicata hæserunt, nullo ob inaccessa locorum auxilio, donec lenta morte, fame, vulneribus, frigore, animam inter mille tormenta exhalarent. Concisi in minutas particulas, & per campos dispersa, Absyrti instar, membra. Multis caro osse tenus excisa & pulmentorum instar contusa. Puellis adactæ per naturalia collo tenus longæ & acuminatæ perticæ, quas impius miles, ut vexilla solent, humeris sublata, spectaculo circumgestabat.

LXV. *Iohannem* Pelanchion Villariensem juvenem, cruce funibus alligatum totum per plateas Lucernæ asperrimis constratas filicibus, circumraptarunt, & siquando ingentibus doloribus victus, manus caputque elevare conaretur, saxis contusus fuit: tandem exsectis virilibus

& in

& in fauces intrusis spiritum ei interclusêrunt ac amputato capite, insepultum truncum ad ripam fluminis abjecerunt, ipsis Catholicis Papistis eam immanitatem non absque gemitu detestantibus. Infantes ex cunis raptos manibus dilacerarunt; puellas vivas hastis alligatas ad ignem assarunt & excisis uberibus degustarunt. Alios manibus ad naturalia alligatis funibus suspenderunt pensiles, immani & incredibili cruciatu, quod totius corporis moles à tam infirmo membro supina dependeret. Aures, nares, & alia corporis abscindere, ora pyrio pulvere implere & eo incenso capita confringere, pudenda oribus intrudere & vivos excoriare, pellem quadripartitam fenestris *Lucernæ* prætendere, decollare, excerebrare & cerebrum frixum devorare, corda pectoribus evellere, vivos comburere, confodere, suffocare aquis, faciem exscindere, id vero vulgare videbatur; sed hoc dignum tantis Catholicis, quod Garciglianæ in furnum, Nebucadnezaris instar, igne flammantissimo candentem, undecim Waldenses conjecerunt, adactis miseris ut unus alterum in ignes præcipitaret, donec ipsi latrones ultimum adjicerent.

LXVI. Verum piget tædetque diutius his, memoria indignis & in Christiano orbe à Christianis, & quidem, ut videri volunt, Catholicis Apostolicis Romanis, com-

commissa in Christianos Reformatos, Principi suo fidissimos, non viros modo & qui arma ferre poterant, verum omnem sexum, ætatem, infantes quoque in cunis vagientes, facinoribus plus quam Neronianis, immorari. Jacuit igitur per omnes illas convalles, per aspera montium rupiumque anfractus immensa strages,

Alpinæ rubuêre nives.

Plateæ oppidorum & viæ, cæsorum & insepultorum constratæ membris: hic resectum caput, illic crura, alibi sparsa exta, & semiputridis cadaveribus infecta flumina, ipseque aër & Sol ad tantam immanitatem inhorruit, ac in authores iram Dei de cœlo pronunciabat.

Cum vero tam horribilis laniena totum Christianum orbem, ipsos quoque Catholicos Romanos, nisi qui participes consilii & facti fuerant, Jesuitas & Monachos, terrore pariter & execratione implevisset, palliare illud omnibus artibus & culpam in miseros Waldenses quasi Principi suo *inobedientes*, conabantur rejicere. Sed hæc omnia ex ipso Morlando copiosissime & authentice haberi possunt, nobis in transitu satis erit summa delibare capita, quantum instituti brevitas permittit.

LXVII. Waldenses, peracta hac crudelissima laniena cum viderent omnes se internecioni destinatos, & non *bona* tantum sua, sed *vitam* & æternam *animæ* salu-

tem

tem exitio destinata, ne veluti pecora trucidarentur inulti, ad jus naturæ contra tam horribilem vim provocarunt, ac liberos suos & uxores quantum possent, & per conscientiam ac omnium gentium jura tenerentur, defendere animo in mortem obfirmato, statuerunt. Dux illis *Iosua* Gianavel, qui priscis Heroibus comparandus, exigua ipse manu contra integras acies (plerique illorum erant *Banditæ*, fures, prædones Hiberni, ut ipse Marchio *Pianezza* ingenue confessus fuit, cui tanta barbaries displicebat) tanta felicitate, tanto successu pugnavit, ut similia in Historiis exempla non reperias. Marchio *Pianezzius*, tot quotidie acceptis detrimentis, ad *Iosuam* Gianavel literas scribit refertas ingentibus, *si Religionem mutaret,* promissis, simulque minis, id nisi faceret, *uxorem* ejus & *parvos* liberos se combusturum. Sed Gianavel ingenti animo: *nihil sibi Religione potius*, respondit, *neque ullam mortem, aut tormenta tam atrocia, quibus succumberet vel fidem abjuraret; quin potius illa promissa minasque Marchionis animum sibi majorem addere. Occideret sane corpora innocentium, uxoris ac liberorum, suumque, si in manus ejus deveniret, animas certe in manu Dei fore, nullamque ipsi in eam potestatem.* Socium is habebat *Iahierum*, cum quo, tanquam altero *Iuda* Maccabeo, terrorem undique hostibus cladem que inferebat, ulcis-

ulciscens innocentissimum & vindictam clamantem undique sanguinem. Undecim commissa fuerunt inter *Papistas* & *Reformatos* prælia, quæ alibi copiosius describuntur; sed hic tamen nomina locorum apponere visum, ut posteritas sciat, quibus locis Deus præcipue ultionem de tam immani & inexcusabili facinore sumserit. Nomina illa sunt: *Piampra*, *Gracigliana*, San *Secondo*, *Briqueras*, *Lucerna*, La *Torre*, *Crusol*, *Angrognia*, *Osac*, La *Vaschere*, La *Torre*.

Cum vero tam lamentabilis Waldensium status, vicinis pariter & remotis, innotuisset, primi omnium Helvetii Reformati, Cantones *Tigurini*, *Bernates*, *Glarenenses*, *Basileenses*, *Schafhusani* & *Appencellani* per literas, tum ad ipsum Sabaudiæ Ducem tum ad Ordines federati Belgii intercesserunt. *Gabriel* Weis Bernensis primo ablegatus, qui pro miseris adhuc superstitibus intercederet: sed Marchio Pianezzius negabat, ullam ipsorum *conscientiæ vim* illatam, aut *lanienam*, ut apud exteros spargatur, commissam: rebellionem justis armis castigatam. Sed lanienam ipsi oculi & res loquebatur; neque rebellio, liberorum, conjugum & propriæ vitæ, contra Banditas & latrones, extrema ac inevitabili necessitate facta defensio, vocari poterat. *Olivarius*, tum temporis Protector Angliæ, literas pro Waldensibus ad Regem

Succiæ,

Sueciæ, Franciæ, Daniæ, Ordines Belgii ac Euangelicos Cantones Helvetiæ scripsit, suaque obtulit auxilia. Pecuniæ certatim, quibus miseris succurreretur, collectæ, & missi Legati ad Ducem Sabaudiæ. *Samuel* Morland ex Anglia, libera hac oratione in publica audientia usus fuit: *ut misericordiam suam hisce pauperrimis & ejectissimis subditis suis impertire dignentur.*

Illis nimirum, qui radices Alpium & valles quasdam in ditione vestra incolentes, Protestantium Religioni sua nomina dederunt. Audivit enim (quod nemo Celsitudinis vestræ Regalis voluntate factum esse dixerit) miserrimos illos, partim ab vestris copiis esse crudeliter occisos, partim vi expulsos, domoque Patria exturbatos, adeoque sine lare, sine tecto, inopes, omnique ope destitutos, per asperrima loca atque inhospita, montesque nivibus coopertos, cum suis conjugibus ac liberis vagari. Quid enim per hosce dies, quod genus crudelitatis inausum illis militibus, aut præteritum fuit? fumantia passim tecta, & laceri artus, & cruenta humus! Virgines post stupra, differto lapillis ac ruderibus utero, misere efflarunt animas. Centenarii nonnulli senes, effæta ætate ac morbo clinici, in lectulis combusti! Infantum alii saxis allisi, alii jugulati, quorum cerebrum ab interfectoribus, immanitate plusquam Cyclo-

Cyclopea, coctum ac devoratum. Quid plura? quanquam vel plurima hujusmodi commemorare possem, nisi horreret plane animus. Si reviviscant omnes omnium temporum & ætatum Nerones (quod sine ulla Celsitudinis Vestræ offensione dictum velim, quemadmodum & nulla ejus culpa quicquam factum esse credimus) puderet profecto eos; ut qui nihil non mite ac humanum, (ad hæc facinora si spectas) excogitasse se reperirent. Interim exhorrescunt Angeli! mortales obstupescunt! Ipsum cœlum morientium clamoribus attonitum esse videtur, ipsaque terra, diffuso tot hominum innocuorum cruore, erubescere! Noli, summe Deus, noli vindictam sumere tantis sceleribus & parricidiis debitam! Tuus, Christe, sanguis eluat hunc sanguinem!

Sed Regina, mater Ducis, respondit, *paternam* tantum & *lenem* castigationem fuisse sumtam de *immorigeris* & *rebellibus* subditis; quæ perpetua erat tantæ crudelitatis excusatio.

Ergo solennis decreta ad Ducem legatio, ab Anglis *Morlandus*, à Belgis *Rodolphus* ab Ommeren, ab Helvetiis *Salomon* Hirtzel, *Carolus* von Bonstetten, *Benedictus* Socinus, & *Ioh.* Jacobus Stockar, quibus nomine Regis Galliæ se conjunxit *Servient*, à quibus tandem imago aliqua pacis procurata; nam quamvis multa pro-

mitte-

mitterentur, paulo post tamen novæ iterum persecutiones emerserunt, quæ hodieque durant, nulla spe remedii. Ita Waldenses, perpetuum quasi miseriæ theatrum in altissimis montibus præbent, ac dum Euangelium libere profitentur, vita id sua vel duris carceribus, jactura bonorum & exilio, luunt. De quo quidem sequentia tempora nos edocebunt.

LXVIII. Sequitur nunc memorabilis illa inter *Molinistas* & *Iansenistas* lis, qui cum utrimque PapamRomanum agnoscerent, in graves tamen controversias delapsi sunt. *Molinistæ* sunt Jesuitæ, qui doctrinam Semipelagianam, aut illa deteriorem etiam, de *gratia* & libero *arbitrio* defendunt. Contra, *Iansenistæ* doctrinam *Augustini* contra Pelagianos & Semipelagianos defendunt. Cujus quidem controversiæ, & inde secutarum in Romana Ecclesia hæc fuit origo.

Cornelius Jansenius, Yprensis ac postea Gandavensis Episcopus, librum scripserat post mortem ejus editum, titulo *Augustinus Cornelii* Jansenii Yprensis Episcopi. Is liber tuebatur doctrinam B. Augustini de gratia & libero arbitrio, ac in plerisque omnibus consentiebat cum doctrina Ecclesiarum Reformatarum. Graviter hoc tulerunt Jesuitæ: contra plerique, per Belgium & Galliam, Romano-Catholici Jansenium Augustini sequacem tuebantur. Unde lites inter ipsos & gravia certamina,

tamina. Quapropter *Vrbanus* VIII. Papa A. cIↄ Iↄ c XLI. Bullam edidit, in qua, repetita *Pii* V. Conſtitutione edita Anno cIↄ Iↄ LXXXIX. & Decreto *Pauli* V. Anno cIↄ Iↄ c XI. inhibuit ſub graviſſimis cenſuris Eccleſiaſticis & pœnis ſecularibus, ne quis impoſterum de *materia auxiliorum divinorum* ſine expreſſa & ſpeciali licentia tractaret, donec *aliud in hac materia à ſede Apoſtolica foret ordinatum.* Prohibiti etiam omnes tales libri, qui vel pro Janſenio, vel contra eum, de hac materia ſcripti eſſent aut ſcriberentur impoſterum. Cumque propter hanc Bullam Papalem variæ difficultates, maxime ab Academia Lovanienſi, moverentur, *Vrbanus* VIII. eam denuo repetiit & confirmavit Anno cIↄ Iↄ c XLIV. ac perpetuum impoſterum ſilentium contradicentibus impoſuit. Miſſæ etiam ad *Franciſcum* de Mello, Belgii tum Hiſpanici gubernatorem, & *Archiepiſcopum* Mechlinienſem, Cameracenſem, *Epiſcopum* Antwerpienſem, & *Academias* Lovanienſem & Duacenam, literæ Papales, quibus ipſis cura imponebatur ut Bullam executioni mandarent: eandemque *Innocentius* X. A. cIↄ Iↄ c XLV. ad Marchionem Caſtri Rodrici, Belgii gubernatorem, & Archiepiſcopos Epiſcopoſque, etiam Gandavenſem, Brugenſem, Yprenſem, Ruremundenſem, Tornacenſem, Namurcenſem, Odomarenſem, & Academias

repetiit

repetiit & inculcavit, ut omni modo prohiberent, & libros de ea materia in utramque partem scriptos, & disputationes ac contentiones exinde orituras. Idem studium *Sorbonæ* Parisiensi, & Leopoldo Wilhelmo Archiduci Austriæ, Episcopo Argentinensi aliisque, commendatum; darent omnem operam, ut lis illa supprimeretur inter Jansenio addictos vel aversos. Hæ Bullæ Papales promulgatæ fuerunt tum in Hispania A. cIↄ Iↄc XLIV. tum in Belgio A. XLVI. & in Burgundia Comitatensi A. XLVIII. ea cum severitate, ut imposterum nullus omnino ad curam animarum admitteretur, nisi, qui post solennem Concilii Tridentini fidei professionem, damnaret solenni formula præscripta, librum Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*.

Sed hæ Bullæ Papales acrioribus inter se odiis partes accenderunt, cum alii falsa Jansenio affingi; nonnulli sententiam ejus hæreseos damnari non potuisse, quod nec scripturæ, nec Conciliis adversaretur, alii denique non Jansenium magis quam Augustinum damnari arbitrarentur, id quod in Coloniensi & Leodiensi præcipue tractu factum. Unde *Maximilianus* Henricus Archiepiscopus Coloniensis & Episcopus Leodiensis, quinque illas propositiones Jansenianas novo edicto damnavit, & ipsarum defensores, tanquam *hæreticos* &

hostes

hostes Orthodoxæ *fidei*, à gremio Ecclesiæ exclusit.

LXIX. Quinque autem illæ propositiones Jansenianæ hæ erant:

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.

3. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

5. Semipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Quas quidem propositiones nova Bulla ut temerarias, impias, blasphemas, hæreticas, falsas, scandalosas, contumeliosas & divinæ pietati derogantes, Papa *Innocentius* X. denuo damnavit A. cIↄ Iↄ c L I I I.

LXX. Præcipuum caput invidiæ, erga doctrinam Jansenianam quinque illis articulis comprehensam, fuit, quod consentiret

cum

cum doctrina Lutheri & Calvini, & propterea esset hæretica. Quanquam non ipsum Jansenium primum authorem harum propositionum facerent, sed quendam *Michaelem* Bajum, cujus opiniones in Belgio jam sub *Philippo* II. à Pio V. A. clↃ IↃ LXVII. & Gregorio XIII. A. clↃ IↃ LXXIX. damnatæ fuerant. *Ianseniani* firmiter asserebant doctrinam hanc non esse suam, vel nuperam, sed *ipsius Augustini*, adeoque doctrinam primi omnium in Ecclesia patris, quæ per tot secula in Ecclesia, & à S. Thoma omnibusque scholasticis Thomistis & Augustinianis recepta, damnari. Sed huic exceptioni Anti-Jansenistæ opponebant, *omni exceptione majorem, Romani Pontificis è cathedra loquentis, authoritatem* FALLENDI NESCIAM, *non modo in Concilio Generali, verum etiam extra illud.* Christum enim non Conciliis, sed ipsi Petro ejusque deinceps successoribus denunciasse Luc. XXII. *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* & Joh. XXI. *Pasce oves meas.* Itemque Matth. XVI. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Eccles. meam.* Atque ita totius hujus Jansenianæ doctrinæ inter Pontificios controversia, tandem resolvebatur in infallibilem Papæ Rom. authoritatem, etiam extra Concilium Universale, illudque in Ecclesia Romana pro articulo fidei haberi cœpit, quodcunque Papa statueret & decerneret.

LXXI. Huic

LXXI. Huic igitur semel jacto infallibilitatis fundamento, Innocentii XI. successor *Alexander* VII. de quo hactenus inter Romano-Catholicos per tot secula controversum fuerat, primus definivit: *immaculatam conceptionem Virginis* MARIÆ absque *peccato ullo* Originali & actuali. Idem causam Jansenianam denuo condemnavit, & impetravit à Rege Galliæ, ut omnes Jansenistæ ex toto regno proscriberentur, ac dignitatibus suis, quas obtinerent, privarentur, nisi certæ formulæ subscriberent.

LXXII. Sicut in Belgio Hispanico Jansenianismus, ita in Batavia & alibi *Cartesianismus* haud leves turbas in Ecclesia & Academiis excitavit. Ac de ipso quidem Renato des Cartes, unde Cartesianum nomen fluxit, ejusque Philosophia nova, nihil nunc dicere atinet, cum in secunda parte Historiæ Philosophicæ nostræ de eo ex professo agatur; id obiter monuisse nunc satis erit, exortas ea occasione inter Theologos controversias quasdam haud levis momenti. Quia enim Cartesius quædam tradiderat dogmata nova, & hactenus inter Christianos vel inaudita, vel paucis tantum, instar hypothesis Astronomicorum, probata, quæ ejus discipuli tanquam vera asserebant & propugnabant, hinc dissensus in Academiis inter doctores exortus. Præcipuum initio de quo controverte-

vertebatur erat, *motus terræ* & *Solis immobilitas*. Quippe, cum *Cartesius* magnam suæ Philosophiæ partem motui Terræ superstruxisset, videbatur is non modo sanæ rationi, verum imprimis authoritati & claris S. Scripturæ testimoniis, nullo in contrarium dato indicio, & communi Ecclesiæ Catholicæ judicio, repugnare. Acriter ea de re, voce scriptisque, disceptatum, non absque animorum exacerbatione. Cartesiani statuebant: Scripturam sæpissime loqui de rebus naturalibus secundum *opinionem* vulgi & *apparentiam*, non secundum *accuratam* rei *veritatem*: quanquam non omnes hanc exceptionem probarent, sed Scripturam exponendam traderent, non secundum *literam* semper, sed *sensum*, aliisque modis, etiam admissa illa opinione Solem stare, terram moveri, consuli posse veritati scripturarum, arbitrarentur. Accesserunt & alia de quibus dissentiebant, *num* de omnibus, etiam *existentia* Dei, *dubitandum* foret antequam quid *certi* statueretur; de *ideis* innatis, *mundi* finitate, *sensu* brutorum, *anima* humana, quæ quanquam Philosophica viderentur, tamen in Theologiam quoque arietabant. Agitata res variis in locis, *Herbornæ* Nassoviorum, *Francofurti* ad Viadrum, & in *Synodis* variarum Ecclesiarum, sed præcipue *Lugduni* ac *Ultrajecti*; ita ut Ordines HOLLANDIÆ & WESTFRISIÆ rei gravitate permoti,

moti, decretum condiderint 6. Octob. cIↄIↄcLVI. in quo ſtatuunt, *Theologiam* à *Philoſophia* ſequeſtrandam, & *illam* quidem ex *ſolo verbo* Dei *ſcripto*, hanc ex *ratione ſana*, juventuti tradendam. Quod ſi aliquæ oriantur quæſtiones, contra quas *S. Scriptura*, tanquam iis *repugnans*, allegari poſſit, tum *illicitum fore* Philoſophis *Scripturam* ſecundum *principia* ſua *interpretari*; ſed *quicquid* in S. Scripturis à Deo revelatum ſit, id tanquam omnium *certiſſimum* pro *firmo* & *indubitato* tenendum, etiamſi *ratio* humana, utcunque *clare* & *diſtincte* ſibi videatur *aliud* præſcribere: ſemper enim divinæ authoritati ſoli plus fidei tribuendum, quam humano judicio; ideoque *Philoſophis* ab ejuſmodi *ſententiis*, quæ *S. Scripturæ* repugnent, *defendendis* abſtinendum, & illa quæ Carteſio deprompta offenſionem præbeant, impoſterum non *propagandi*, neque *libros* Carteſii à Profeſſoribus juventuti prælegendos. Multa inſuper alia ſalutariter tum decreta, quæ ad S. *Scripturæ* authoritatem, in rebus Theologicis & Philoſophicis conſervandam, & mutuam concordiam, ſpectarent, quæ quidem commemorare nunc opus non eſt; cum res in recenti adhuc memoria ſit, & præcipua ad Hiſtoriam Philoſophicam ſpectent.

LXXIII. Quantæ in Britannicis Eccleſiis, durante longo illo interregno, divi-

ſiones animorum, hæreſes & ſchiſmata fuerint, ſupra commemoravimus. Tandem A. cIɔ Iɔ c LX. reſtituto iterum Rege, Parlamentum omnia in eum ſtatum, qui ſub Elizabetha fuerat, quoad Epiſcopos & Liturgiam (hinc inde tamen emendatam) revocavit, nulla exceptione admiſſa. Ita & *Presbyteriani* & *Independentes* & *Fanatici* quorum tum novum & commune nomen *Quakerorum* fuit, loco moti, omneſque ſe *conformare* in doctrina, liturgia & ritibus Eccleſiæ Anglicanæ juſſi. Idem in *Scotia* & *Hibernia* factum. Atque hunc exitum habuit longa illa & cruenta Britannicarum Eccleſiarum de doctrina & regimine, concertatio, atque unde cœperant, ibi deſierunt.

LXXIV. Rem nunc exponam, non minus tradentium multitudine certam, quam ipſo facto & eventu mirabilem. Quippe, noſtro tempore non defuerunt qui *Sepulchrum* MOSIS, quod ipſe Deus abſconderat, repertum fuiſſe traderent, idque hac occaſione. A. cIɔ Iɔ c LV. menſe Octobri, *Maronitæ* quidam Paſtores capras in montibus *Nebo* & *Abarim* paſcebant, cumque frequenter obſervarent, quaſdam capras duobus tribuſque diebus longius à grege exſpatiari & abeſſe, reduces vero pilis admodum ſuaviter odoris eſſe, viſum ſcrutari rem tam miram. Ergo ducibus capris ad *præcipitia* immanis

pro-

profunditatis pervenerunt, intra quæ *vallem* brevi circuitu sed amœnissimam invenerunt, in quam difficillimus per rupes terræ motu, ut videbatur, hinc inde convulsas, descensus dabatur. Ibi reperta cavea suavissimi odoris, & in ejus medio *sepulcrum* ex vivo saxo, literis quibusdam inscriptum. Ipsi pastores cum stupore egressi, late odorem de se sordidisque cætera vestimentis spargebant & rei novitate commoti, *Patriarchæ* Maronitarum in monte Libano & Monasterio S. Mariæ, quod *Kanoben Kadischa* Mirjam vocant, habitanti, nomine *Mataxat*, cuncta quæ viderant, quæ repererant, nunciarunt. Fidem faciebat odor inusitatæ suavitatis. Ergo missis eo duobus sacerdotibus, quos inter *Aben-Useph* doctrina ac prudentia excellens, monumentum repererunt, cui literis Hebræis inscriptum, *Moses, Servus Domini.* Exhilaratus tanti, ut videbatur, miraculi magnitudine Patriarcha, Bassam Damasci *Morat* precibus sollicitat: ut sibi *custodia reperti sepulcri* committeretur. Sed *Græci* & *Armenii*, & *Franciscani*, ac denique *Iudæi* se iis opponere, ac ipsi inter se discordes, pecunia & largitionibus in aula apud *Muftim* & *Visirium* certabant de *sepulcro*, ut putabant, *Mosis* reperto. Præcipue Judæi contendebant, *Sepulcrum Mosis ad se spectare* & nihil gloriosius inter titulos Imper. Turcici fore, quam quod sit *Dominus*

trium ſepulcrorum, *Muhammedis* Meccæ, *Ieſu* Chriſti Hieroſolymis & *Moſis* in monte Nebo. Sed *Ieſuitæ* cunctorum conatus ſuis artibus eluſerunt, ac magnis muneribus impetrarunt, ut *ſepulcrum* & ipſe *aditus* occluderetur ac ne cuiquam, *ſub pœna mortis*, ad illud accedere liceret. Ita *Morat* Baſſa, miſſis Sangiako *Ieroſolymæ* & *Saphettæ*, montes obſtrui ac ſepulcrum claudi juſſit.

Ipſi vero *Ieſuitæ* inita cum *Druſis* conſpiratione, *corpus* Moſis clam auferre ex ſepulcro & in *Europam* deportare nitebantur, magnam inde ordini ſuo ſanctitatem & immenſas opes, haud vane, promittentes. Jamque ſepulcrum ipſum multo labore aperuerant, cum *vacuum* illud & ſine ullo *corpore* aut *reliquiis* inveniunt, & dum inter ſe attoniti muſſant, dum vel totum ſepulcrum, vel quia id fieri non poterat ob molem, partes ejus auferre ſecum deliberant, res interea prodita Sanziakis *Hieroſolymæ* & *Saphettæ*, qui cito miſſis ſub *Iafer* Aga equitibus, in ipſo conatu Jeſuitas male mulctatos oppreſſerunt, & ipſum ſepulcrum ingentibus ſaxis, ut impoſterum inacceſſum foret, obſtruxerunt. Magnæ inde in aula Conſtantinopolitana turbæ & inter eruditos quæſtiones, *quid de hoc ſepulchro Moſis ſtatuendum?* Sed doctus quidam Judæus, *Iecomas* Ben Gad, *Saphettæ* habitans, integro libro de hac materia ſcri-

pto,

pto, oſtendit: *non* Moſis *Servi Domini* hoc eſſe ſepulchrum, ſed *alterius* cujuſdam *Moſis*, qui multis poſterior ſeculis fuerit. Atque ita opinio de reperto ſepulchro *Moſis* iterum evanuit.

LXXV. Papa, poſtquam pacem cum Rege Galliæ iniviſſet, imprimis damnationem *Ianſenianiſmi* urſit & ut INFALLIBILIS à *Sorbona* declararetur. Et prius quidem, quamvis acriter reluctante Clero, impetravit, multis propterea tota Gallia loco motis, quod decreto *Anti-Ianſeniano* ſubſcribere illudque ratum habere nollent. Sed *Infallibilitas* non eundem ſucceſſum habuit, non ignaro Rege *quantum ex* MAJESTATE *peteretur*, ſi *Papæ* authoritas *infallibilis* declarata foret. Ita enim REGES pro *lubitu*, tanquam infallibilis *Iudex* omnium controverſiarum, *excommunicare regnis* & *vita* ſpoliare, *regna* auferre, ea *donare* alteri (ut *Iulius* II. Navarram, *Pius* V. & *Sixtus* V. Angliam) denique MONARCHAM totius *Orbis* & in *Eccleſiaſticis* & in *Politicis* ſe facere poſſet. At vero, quamdiu *fallibilis* habetur, poteſtas ejus tanquam *freno* conſtricta intra modeſtiæ cancellos coërceri, & *decreta* ejus tanquam *erronea* rejici, *fulmen* excommunicationis contra Reges (*Henricum* III. & IV.) tanquam *brutum* ſperni, & *ipſe* Papa *Concilio*, corrigendus in *doctrina*, *vita* ac *moribus*, ſubjici poteſt, manentibus ſaluberrimis

illis & antiquiſſimis regulis: *Papa* eſt *fallibilis*, & revera *errat* ac *erravit*. Concilium eſt *ſupra* Papam. Quapropter *Sorbona* conſtanter perrexit, in *libertate* Eccleſiæ Gallicæ, contra *uſurpationem* Curiæ Romanæ, defendenda, ac contra illam *prætenſam inanemque Infallibilitatem* Papæ antiquam doctrinam conſtanter propugnavit, non ignara, ſi Jeſuitæ ſemel extorqueant Papæ Infallibilitatem, tum Sorbonam fore Jeſuitarum, & illud Tityri: *Veteres migrate coloni*.

LXXVI. Quemadmodum vero Papæ infallibilis authoritas in Gallia fuit collapſa, ita triſtis *Reformatarum* Eccleſiarum conditio, quæ indies magis magiſque opprimebantur, dirutis paſſim & everſis templis: nec metus aberat atrocioris alicujus perſecutionis, præſertim cum Jeſuitæ Regem continuis urgerent criminationibus, & regno ejici omnes Papæ adverſos vellent. Hinc fuga paſſim & multæ in Germaniam, Helvetiam, Belgium familiæ migrabant. Donec Rex, fidelitate Reformatorum erga ſe ſuoſque majores perpenſa & fraudibus illorum qui publicam quietem ea ſeveritate turbatum ibant, ceſſare vim juſſit ac quietas ſinere Eccleſias. Pro quo beneficio gratias illi agunt, quotquot Proteſtantium Religionem profitentur & exclamant: VIVAT LUDOVICUS A DEO DATUS! In quo voto & ego deſino.

LXXVII.

LXXVII. Claudat totam hanc Eccl. Hist. ſtatus Indiæ Occidentalis pariter & Orientalis,ac quam late Chriſtianiſmus ibi inter barbaros & gentiles hactenus propagatus ſit. Et ab eo quidem tempore, quo Luſitani Africam, Braſiliam & Indiam, Caſtiliani Americam & Philippinas navibus ſuis ac coloniis frequentant,fidem quoque Romanæ Eccleſiæ Papalis, ubicunque ſuperiores erant, propagarunt, conſtitutis paſſim innumeris templis,omni ſtatuarum genere, ad pompam pariter ac ſuperſtitionem, adornatis. Et Indiæ quidem Orientalis, ut Imperii, ita Eccleſiæ Romanæ, ſedes prima Archiepiſcopalis *Goa*. Inde Jeſuitæ, duce *Franciſco* Xaverio late per continentem inſulaſque divagari, ut proſelytos inſtar Phariſæorum facerent, donec tandem in ipſam *Sinam* & *Japoniam*, miris artibus penetrarunt, ubi imprimis opinione ſcientiæ Mathematicæ famam ſibi apud proceres & Philoſophos compararunt, atque ita ſenſim in ritus Romanos pellectis, Chriſtianorum nomen baptiſmo impoſuerunt, opibus potius quam animarum ſaluti inhiantes: atque eum ſucceſſum hæc expeditio habuit,ut ex ipſa Japonia fucatam trium Regum ad Gregorium XIII. legationem ſubornarent, & tandem de Imperio occupando per clientes ſuos conſilia agitarent. Quod detectum, exitio omnibus novis Chriſtianis tota Japonia

 fuit,

fuit, in quos atrocitate suppliciorum ultra omnium seculorum memoriam sævitum, donec vel fidem Christianam abjurarent, vel inter tormenta expirarent. Ita hodie nulli in Japonia Christiani, & Jesuitis toto imperio interdictum.

LXXVIII. Persecutio Japonica circa A. cIↃ IↃ CXXIII. flagrantissima fuit. Initio decollatione & crucifixione in novos Christianos animadversum: inde cum hæc velut inania riderentur, vivicomburio & lenta tostione: tandem ad immanissima quæ à condito orbe audita, deventum: inter quas intolerabiles atrocitates nihil quod immensis doloribus cum suspendio capite in foveam prono, pedibus sursum erectis comparari potuerit repertum. Tenera ætas eadem qua saniores promtitudine ad martyrium ruebant, exclamantes: *nolumus vivere, non metuimus mortem: eo quo parentes nostri præcesserunt & nos festinamus ad gaudia nullis unquam à vobis contaminanda doloribus*. Matres liberos secum per vim in ignes rapiebant. *Agedum*, inquiebant, *charissimi liberi ne diutius vivite inter malos hos homines: in regionem vos deportabimus pretiosam & pulchram, ubi perpetua gaudia nobiscum agitabitis*. Sed hæc omnia prolixius in commentario de Japonia Francisci Caroni & relatione singulari Regneri Gisberti commemorantur. Numerus occisorum ingens: nam A. cIↃ IↃ C VI,

Iↄ c VI. plusquam cccc. millia Christianorum numerabantur: inde toto imperio adeo increverunt, ut sola urbs *Nangasaque* A. cIↄ Iↄ c XXVI. adhuc plusquam XL cIↄ. numerarit, qui omnes circa A. XXVIII. penitus vel defectione vel internecione deleti.

LXXIX. Nec in Sina feliciorem res Jesuitarum successum habuerunt, ubi in aula Pekingensi, apud Imperatorem *Vanlieum* potentes, sua temeritate & improvida fidei Romanæ propagatione, horribilem A. 1615. persecutionem Christianis suis attraxerunt. Quippe, *Bonzii* videntes lucrum suum à nova Religione imminui & sacra vilescere, non ante conquieverunt, quam eos tanquam *priscæ Religionis eversores & destructores Astrologiæ Sinensis*, in Nankingensi metropoli in carceres conjicerent, quos inter etiam fuit P. Alvaro Semedo, qui totam hanc Tragœdiam descripsit. Præcipuum, quod objiciebant Christianæ fidei Sinenses, hoc erat; *qua ratione prædicarent* Deum esse hominem, *qui tanquam maleficus crucifixus esset.*

Nihilominus Jesuitæ, quanquam dira passi, per varias Sinæ Provincias dispergebantur & passim collegia ac templa moliebantur, præsertim in Provincia *Xamsi*, in qua omnium numerosissimam sectam habebant. Quid postea in destructione illa Tartarica factum, & quis Ecclesiarum ho-

diernus ſtatus ſit, alio opere commemorabimus.

LXXX. Dum vero hæc paſſim per orbem aguntur; *fœda* conſpiratio contra *Eccleſias* Belgicas, erupit. Dux *exercituum* paſſim à *Monachis* collectorum *Epiſcopus* Monaſterienſis fuit. *Conſilium* occupare priſcos *Epiſcopatus* ab *Inquiſitione* inſtitutos: intercipere, noſtris mari contra Anglos occupatis, per inſidias, vel clauſo gelu hyberno mari, munitas urbes: inde Hollandiam perrumpere & prædam facere. Everſa hæc Chriſtianis *Epiſcopis* indigna conſilia: conſervatæ ab interitu Papiſtico Eccleſiæ: oppida, arces, pace præſcripta receptæ. Et ita bellum EPISCOPALE ultimum finitum fuit; Rege FRANCIÆ & Electore BRANDENBURGIÆ validis exercitibus turbatores tranquillitatis publicæ ad pacem cogentibus. Ita ut impoſterum, Eccleſiæ & Reſpublicæ, nullo amplius ab armato Epiſcopatu, metu, pacem perpetuam habituræ ſint.

LXXXI. Atque ita ad præſentem annum 1666. per immenſa Eccleſiæ ab orbe condito ſpatia provecti finem imponemus.

FINIS HIST. ECCLESIASTICÆ.

GEORGII HORNII
BREVIS ET PERSPICUA
INTRODUCTIO
AD
UNIVERSALEM
HISTORIAM.

GEORGII HORNII

BREVIS ET PERSPICUA INTRODUCTIO AD UNIVERSALEM HISTORIAM.



ISTORIA est rerum gestarum narratio.

Estque vel *Universalis*, vel *Particularis*.

Universalis est, quæ res omnium gentium, ab Orbe condito usque ad nostra tempora, tradit.

Particularis, quæalicujus gentis velætatis res tradit.

Universalis dividitur in *Ante-Diluvianam* & *Post-Diluvianam*.

Ante-Diluviana complectitur res Annorum 1656. Eam tradit Moses Gen. cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, & Joseph. 1. Antiquit. Præter ea nihil certi constat.

Post-Diluviana complectitur res Annorum 3940. Estque vel *Vetus* vel *Nova*.

Vetus complectitur res *Veteris Orbis*.

Estque vel *Asiatica*, vel *Africana*, vel *Europaa*.

ASIA-

ASIATICA est vel *Assyriaca*, vel *Persica*, vel *Indica*, vel *Scythica*, vel *Hebræa*, vel *Lydia*, vel *Trojana*, &c.

I. REGNUM ASSYRIACUM.

Assyria fuit Regio ad Orientalem ripam *Tygris* sita, cujus Metropolis *Ninive* fuit.

HISTORIA ASSYRIACA.

Imperium Assyriacum, quod etiam Babylonium vel Chaldæum dicitur, unum ex antiquissimis & potentissimis fuit: unde etiam *Prima Monarchia* dici solet. Duravit Annos circiter 1300. & cœpit à *Belo*: finita est in *Sardanapalo*.

Reges ejus 38. fuerunt. Ex quibus celebriores sunt.

1843. I. *Belus*, qui in Scriptura *Nimrod* dicitur. Is Babyloniam extruxit, & prima dominationis magnæ fundamenta posuit.

1908. II. *Ninus* qui Niniven struxit, & in exercitu suo decies septies centena millia habuit, currus falcatos ferme decem mille & sexcentos. Tanto cum exercitu magnam Asiæ partem subegit, & *Zoroastren*, *Magiæ inventorem*, *Bactrianorum* regem, debellavit. Tandem fraude uxoris Semiramidis periit.

1957. III. *Semiramis* uxor *Nini*; quæ fraude Imperium invasit, & fortiter administravit. In exercitu ter decies centena millia peditum duxit, quinquaginta millia

lia equitum, & magnis rebus gestis tandem à filio Ninia interfecta fuit.

Post Semiramidem virtus & gloria Regum Assyriæ declinare cœpit, qui sese voluptatibus & otio fere omnes dediderunt, usque ad *Sardanapalum*, qui trigesimus *octavus* fuit. Is cum omnium hominum effœminatissimus esset, in contemptum venit, & ab Arbace Medorum Præfecto victus seipsum cum regia cremavit.

3080. Hic finis regni Assyriaci primi fuit.

Postea Imperium ad *Medos* & *Babylonios* pervenit.

Medi regnarunt annos 350. ex quorum Regibus clarissimi fuerunt.

3080. I. *Arbaces*, qui à *Belocho* thesauris Sardanapali fraudatus, eidem clementer ignovit.

3360. II. *Astyages*, qui à Nepote suo *Cyro* victus & regno spoliatus est.

Finis Regni Medorum.

Babylonii quoque & *Assyrii* tum iterum regnare cœperunt.

Apud *Assyrios* celeberrimi fuerunt Reges ex sacra Scriptura noti.

3220. I. *Salmanasser*, qui regnum *Israëlis* destruxit.

3230. II. *Sennacherib*, qui *Hierosolymam* obsedit, & in ea obsidione una nocte 185000. suorum amisit, ac à filiis suis interfectus fuit.

Apud *Babylonios* celeberrimi fuerunt.

3340. I. *Nebucadnezar*, qui ingens imperium

perium condidit, & regnum Judæ destruxit, Judæos in captivitatem Babylonicam abduxit, tandemque in feram mutatus pœnitentiam egit.

3390. II. *Balthazar* ultimus Rex, qui in bello contra Cyrum periit.

Sic *Prima Monarchia* Assyriaca omnino desiit, & ad *Persas* translata est.

HISTORIA PERSICA.

Imperium Persarum stetit annos 200. Reges habuit XIII. quorum primus fuit *Cyrus*, ultimus *Darius Codomannus*.

Celebriores fuerunt:

3399. I. *Cyrus* nepos *Astyagis*, qui victo avo, *Crœso Lydorum*, *Balthazare* & *Dario Babyloniorum* Rege, tandem à *Tomyri Scytharum* regina cum omni exercitu deletus est.

3422. II. *Cambyses*, qui *Ægypto* subacta, *Sisamni* injusto judice excoriato, crudelis in omnes, tandem gladio sua sponte evaginato vulneratus obiit.

3429. III. *Darius Hystaspis* filius, qui Magis occisis, servi sui calliditate, hinnitu equi Rex creatus, Babylonem fidelitate *Zopyri* cepit, bellum contra Scythas & Athenienses infeliciter gessit.

Bellum illud Darii contra Athenienses admodum memorabile est, in quo 11000. Græcorum contra 600000. Persarum in *Campo Marathonio* pugnarunt, ac ducenta millia interfecerunt.

3465. iv. *Xerxes* majori fratri in successione Regni prælatus, maximum bellum contra Græcos suscepit, à quibus terra marique ineffabili clade profligatus, & fugatus, ac tandem à suis ob crudelitatem interfectus est.

3486. v. *Artaxerxes Longimanus Themistoclem* exulem suscepit, Judæis in patriam revertendi potestatem dedit.

3526. vi. *Darius Nothus* domi pacifice regnat.

3545. vii. *Artaxerxes Mnemon* Græciam pacat, *Cyprum* subigit, domi infelix est, & ex dolore animi obit.

3588. viii. *Artaxerxes Ochus Phœnicen* & Ægyptum recuperat, à *Bagoa* veneno tollitur.

3611. ix. *Arses*, sive *Arsames* à *Bagoa* quoque sublatus.

3614. x. *Darius Codomannus*, ultimus Rex Persarum, ab Alexandro M. trib præliis victus, vitam cum regno amisit.

Sic Monarchia Persica desiit & ad Macedonas translata est.

Cætera regna, *Trojanum*, *Lydium* & alia, quia obscura fuerunt, omittemus in hoc compendio.

Res Populi Judaici ex Sacra Scriptura notissimæ sunt.

AFRICANA.

In *Africa unicum* regnum fuit celeberrimum Ægyptiacum, de quo tamen pauca supersunt.

Celebrio-

Celebriores Reges fuerunt.

2450. I. *Rammeses*, qui in Mari Rubro cum omnibus copiis submersus est. Exodi 14.

2960. II. *Sesostris*, qui maximas res gessit, & captivos Reges superbe habuit. Longissimo muro versus Syriam imperium sepsit.

3333. III. *Pharao Necos*, qui Josiam regem Judæ prælio superavit.

3356. IV. *Aories*, qui *Ieremia* serra dissecto, ab Amasi captus & strangulatus est.

V. *Psammenitus*, qui à Cambyse Rege Persarum victus, & ad mortem epoto sanguine taurino adactus est.

Hic fuit ultimus Rex Ægypti: & sic *Ægyptus* in potestatem *Persarum* venit.

Restat

HISTORIA EUROPÆA.

In *Europa* duo celeberrima Regna fuerunt, *Græcorum & Romanorum.*

Græci primo in varia Regna & Respublicas divisi fuerunt, velut *Sicyonium, Argivum, Athenienſium, Corinthiorum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Thebanorum, Thessalorum* & alia.

Res ipsorum memorabiliores sunt *Bella* quæ gesserunt: nimirum:

2756. I. *Bellum Trojanum*, quod decem annos duravit, & tandem urbis Trojæ excidio finitum est. Duces Græcorum præci-

præcipui fuerunt: *Agamemnon, Achilles, Menelaus, Ajax, Diomedes, &c.*

3458. II. *Bella Persica*, quæ varia fuerunt; duo autem maxima. Primum contra *Darium Hystaspis*, in quo Dux Græcorum fuit *Miltiades*. Alterum contra *Xerxen*, in quo *Persas* ad *Artemisium*, & ad *Salaminem* navalibus præliis, deinde terra ad *Plateas* profligarunt. In eo bello imprimis eminuit virtus *Themistoclis*, & *Cyriegiri militis Atheniensis*, de quo incredibilia narrant.

Leonidas quoque Spartanorum Rex, *Thermophylas*, cum æterna nominis sui gloria ad extremum usque spiritum, acerrime defendit.

Summa Græcorum in hoc bello eminuit prudentia, quod *Persas* in angusto mari aggressi sunt. Alias enim impossibile fuisset eos vincere.

Hoc bellum Græcorum contra Xerxen est speculum belli Belgici contra Regem Hispaniæ, maxime si classem illam Anni 1588. & 1640. cum præliis navalibus ad *Artemisium* & *Salaminam* comparemus.

3519. III. *Bella Intestina*, inter quæ maximum fuit *Bellum Peloponnesiacum* inter *Athenienses* & *Lacedæmonios*, quod viginti octo annos duravit. Hujus belli multiplex fortuna fuit & summa rerum varietas. Anno ejus secundo immanis pestilentia Athenas vastare cœpit. Anno ejus decimo sexto Athenienses in Sicilia ingentem

tem cladem acceperunt. Tandem ad *Ægos Potamos* à *Lysandro* victi sunt, & Athenæ captæ ac muri diruti, ipasque Resp. Tyrannidi xxx. *virorum* commissa est, & paulo post à *Thrasybulo* liberata.

3571. Postea cum Lacedæmonii aliquandiu in Asia, Duce *Agesilao*, fortiter contra Persas pugnassent, ortum est bellum inter *ipsos* & *Thebanos*.

Thebanorum Dux fuit *Epiminondas*, qui Lacedæmonios duobus magnis præliis ad *Leuctra* & ad *Mantineam* profligavit. Sed in hoc ultimo prælio ipse *Epaminondas* immortali nominis sui gloria occubuit.

3595. Non diu post *Bellum Sacrum* in Græcia ortum est contra *Phocenses*, cui se *Philippus* Macedoniæ Rex immiscuit, & victis *Phocensibus* dominatum *Græciæ* mira calliditate paulatim invasit.

Is *Athenienses* ad *Chæroneam* vicit, & à Græcis Imperator belli contra Persas lectus, ac ante expeditionem à Pausania satellite suo interfectus est.

Ejus filius fuit *Alexander*, qui à rerum gestarum magnitudine cognomen *Magni* tulit. Is *Darium Codomannum* ultimum Persarum Regem tribus magnis præliis ad *Granicum*, ad *Issum*, ad *Arbela* sive *Gaugamela* vicit, ac innumeris gentibus subactis,

3620. MONARCHIAM TERTIAM, quæ *Macedonica* dicitur, condidit.

Eo mortuo MONARCHIA MACEDONICA

in

in tria Regna divisa fuit, *Macedonicum*, *Syriacum*, & *Ægyptium*.

REGNUM MACEDONICUM.

Reges ejus hi fuerunt.

3633. I. *Cassander*, qui *Olympiadem* Alexandri M. matrem, & totam ejus progeniem interfecit.

3656. II. *Demetrius*, *Antigoni Regis Asiæ* filius, qui variam fortunam expertus tandem à *Seleuco* Rege Syriæ captus est.

3663. *Lysimachus* Rex Thraciæ, qui à Seleuco victus & occisus est.

3667. IV. *Ptolemæus Ceraunus*, qui Lysimachi filios perfide interfecit, & à *Belgio Galatarum Duce* cæsus fuit.

3671. V. *Antigonus Gonatas*, qui *Galatas* vicit, & à *Pyrrho Epiri Rege* regno exutus, illud post mortem ejus recuperavit.

VI. *Demetrius*, qui *Berenices* sponsæ jussu interfectus est.

3706. VII. *Antigonus Doson*, qui Spartanos & Illyrios magno prælio vicit.

3729. VIII. *Philippus*, qui à *Flaminio Consule Romano* victus est.

3771. IX. *Perseus*, ultimus Rex *Macedoniæ*, ab *Æmilio* Consule victus & triumphatus, post biennii captivitatem *Romæ* periit.

Sic Macedonia in Romanorum potestatem concessit.

Finis Regni Macedonici.

REG-

REGNUM SYRIÆ.

Reges ejus fuerunt octodecim, qui dicuntur Seleucidæ.

3638. I. *Seleucus Nicanor*, victo *Antigono* & *Demetrio* Asiæ Regibus, *Babylonem* & *Orientem* occupavit; & tandem in bello à *Ptolemæo Ceruno* occisus fuit.

3668. II. *Antiochus Soter* novercam *Stratonicam* duxit uxorem.

3689. III. *Antiochus Theos*, qui ab uxore *Laodice* veneno sublatus est.

IV. *Seleucus Callinicus* novercam Berenicem cum parvulo filio contra fidem occidit, & à Ptolemæo Ægypti Rege *Syria*, ab *Arsace Babylonia*, ab *Eumene Bithynia* exutus fuit. *Syria* recepta, equo delapsus periit.

3724. V. *Seleucus Ceraunus*, qui à suis interfectus est in transitu *Tauri*.

3726. VI. *Antiochus Magnus* à *Ptolemæo Philopatore* victus, in bello contra Romanos omnem Asiam cis Taurum amisit.

3763. VII. *Seleucus Philopator* ignavus fuit.

3775. VIII. *Antiochus Epiphanes* furiosus Judæos persequitur acerrime, & in *Perside* cum templum spoliaret, à multitudine interfectus est.

3786. IX. *Antiochus Eupator* pacem cum Judæis fecit, & à Demetrio patruo interfectus est.

3788. X. *Demetrius Soter* ab *Alexan-*

dro

3788. x. *Demetrius Soter* ab *Alexandro* quodam, qui se filium *Antiochi Epiphanis* nominabat, interfectus est.

3798. xi. *Alexander* ope Ptolemæi *Philometoris* soceri Syriam occupavit, & ab eodem, conjuge, regno & vita spoliatus est.

3804. xii. *Demetrius Nicanor* à *Ptolemæo Philometore* Rex constitutus, à fratre *Antiocho Sidete* expulsus fuit.

3808. xiii. *Antiochus Entheus* à suis interfectus est.

3811. xiv. *Tripho*, occiso Entheo, interficitur.

xv. *Antiochus Sidetes* seu *Pius*, pulso *Triphone*, in prælio contra *Arsacen Parthorum Regem* occubuit.

3821. *Demetrius Nicanor* iterum carcere liberatus regnat.

3824. xvi. *Alexander* à Ptolemæo *Physcone* Rege Ægypti, Rex constitutus biennio regnavit.

3826. xvii. *Antiochus Gryphus* cum *Antiocho Cyziceno* fratre suo de regno Syriæ magna bella gessit, & insidiis *Herodiani* periit.

3863. xviii. *Tigranes* Rex *Armeniæ* à Syris ad regnum vocatus, & à *Lucullo* victus, Syriam amisit.

Sic *Syria* Populi Romani Provincia facta est, & *Regnum* esse desiit, cum durasset 250. annos.

REGNUM ÆGYPTI.

Reges ejus fuerunt X.

3326. I. *Ptolemæus Lagi* filius, victo *Perdicca*, & magnis contra *Antigonum* bellis gestis, regno se abdicavit.

3666. II. *Ptolemæus Philadelphus* omnis literaturæ amator & remunerator maximus, Bibliotheca ingenti *Alexandriæ* constituta, Sacra Biblia per LXX. Interpretes in Græcum verti curavit, ac in Regno *Ægypti* 3338. urbes numeravit.

3703. III. *Ptolemæus Evergetes*, qui Seleucum Callinicum & *Antiochum Hieracem* Syria ejecit ob cædem *Berenices*, & Judæos humaniter tractavit.

3729. IV. *Ptolemæus Philopator*, qui vicit *Antiochum Magnum* Regem Syriæ, Judæos crudeliter oppressit, uxorem *Eurydicen*, & sororem occidit; ac tandem incestuosus veneno sublatus est.

3746. V. *Ptolemæus Epiphanes*, qui à *Philippo* Rege Macedoniæ & *Antiocho Magno* in infantia frustra bello petitus est.

3771. VI. *Ptolemæus Philometor*, quem Romani contra *Antiochum Epiphanem* per *Popilium Lænatem* defenderunt.

3805. VII. *Ptolemæus Physcon*, qui sororem Cleopatram duxit, ei filium *epulandum apposuit*, eamque occidit: in Cyprum ejectus omnia turbis implet.

3834. VIII. *Ptolemæus Lathyrus*, qui triginta millia Judæorum occidit & *superstites*

ſtites coëgit cæſorum carnibus veſci.

3868. ix. *Ptolemæus Auletes*, qui à Romanis per Pompejum in regnum reſtitutus fuit.

3899. x. *Ptolemæus Dionyſius*, qui *Pompejum occidit*, & in bello contra *Iulium Cæſarem* aquis ſubmerſus periit.

3902. xi. *Cleopatra* ſoror ejus in regno ſucceſſit. quæ *Antonio* nupſit, & ab *Auguſto* victa ac capta *ſeipſam morſu aſpidum interfecit.*

Sic Ægyptus in poteſtatem Romanorum pervenit.

Finis Hiſtoriæ Græcæ.

HISTORIA ROMANA.

Historia Romana complectitur res ſub Regibus, ſub Conſulibus, ſub Imperatoribus geſtas.

Infantia fuit ſub Regibus, *Adoleſcentia* ſub *Conſulibus*, *Virilis ætas* à primo Bello Punico uſque ad Auguſtum, *Senectus* ab *Auguſto* ad *Auguſtulum.*

Reges Romæ regnaverunt VII.

3198. i. *Romulus* à lupa conſervatus, Romam condidit, & geſto cum vicinis bello, à Senatoribus interemptus eſt.

3236. ii. *Numa Pompilius* religionem ac pacis artes inſtituit.

3279. iii. *Tullus Hoſtilius*, monomachia *Horatiorum* ac *Curatiorum* Albanos vin-

vincit, *Metium Suffetium* ob proditionem equis distrahit, & fulmine ictus periit.

3311. IV. *Ancus Martius*, Fidenates, Sabinos, Vejentes, Volscos domat.

3335. V. *L. Tarquinius Priscus* Latinos, Sabinos, Hetruscos vincit, urbem exornat, ab *Anci Martii* filiis obtruncatur.

3373. VI. *Servius Tullius* Hetruscos domuit, & à Tarquinio impulsu filiæ suæ *Tulliæ*, inaudito scelere interemptus est.

3417. VII. *Tarquinius Superbus* Regnum in Tyrannidem vertit, Capitolium condit, libros *Sybillinos* emit, propter stuprum, quod Sextus Filius *Lucretiæ* intulerat, regno ejectus, restitutionem armis Porsennæ Regis Hetruscorum frustra quæsivit.

Hic fuit finis *Regni Romanorum.* Successerunt *Consules annui*, & interdum *Dictatores*, sub quibus plurima bella gesta sunt: eaque vel *Externa* vel *Interna.*

Inter *Externa* celebriora fuerunt.

3443. I. *Hetruscum primum* contra Regem *Porsennam* pro libertate gestum, in quo *Mucius Scævola*, & *Horatius Cocles* insignia fortitudinis exempla ediderunt.

II. *Hetruscum secundum*, quod clade *Cremerensi*, in qua 300. Fabii cæsi sunt, memorabile est.

3562. III. *Gallicum*, in quo Romani ad *Alliam* fusi, Roma capta, Capitolium obsessum, & à Camillo liberatum est, ac Galli internecione deleti.

3588.

3588. IV. *Latinum* II. in quo T.Manlius filium quod extra ordinem pugnasset, securi percussit.

V. *Samniticum*, in quo Romanis ad *Furcas Caudinas* sub jugum missis; tandem Sabini à *L. Papirio* plane debellati sunt.

VI. *Hetruscum* III. in quo *P. Decius Mus* se pro exercitu devovit.

3668. VII. *Tarentinum*, in quo *Pyrrhus* Rex *Epiri* Romanos ad fluvium *Lirim* terrore Elephantorum vicit, & ab iis postea aliquoties victus, cum nec per *Cyneam* obtinere pacem, nec *Fabricium* aut *Curium* corrumpere posset, Italia pulsus & in Græcia occisus fuit.

3685. VIII. *Punicum* I. quod Romani contra Carthaginenses totis *viginti tribus annis* pro Sicilia gesserunt, in quo post varias clades *M. Attilius Regulus*, à Carthaginensibus captus ac excarnificatus: Carthaginenses vero ad *Ægates* victi, & omnibus inter *Italiam* & *Africam* insulis spoliati sunt.

3731. IX. *Punicum* II. cujus causa fuit *Saguntus* ab Annibale deleta, in quo Annibal Romanos quatuor ingentibus præliis ad *Ticinum*, ad *Trebiam*, ad *Thrasymenum*, ad *Cannas* profligavit. Romanam tamen rem *Fabius* cunctando, *Scipio* pugnando restituit & confirmavit. *Annibal* cum Romam capere posset, maluit se *Campaniæ* deliciis enervare. Eventus belli fuit, quod Annibal, cum jam 16. annis Italiæ incu-

buisset, à *Scipione* in Africa victus, & pacem petere coactus fuit.

3750. x. *Macedonicum*, in quo Philippus Rex Macedoniæ ad *Cyno-Kephalas* à *Flaminio* victus est, & libertas Græciæ restituta. Postea cum id bellum Perseus Philippi filius renovaret, ab *Æmilio* victus, captus ac triumphatus fuit, ac *Macedonia* in provinciæ formam redacta.

xi. *Syriacum*, in quo Antiochus Rex Syriæ a *Scipione Asiatico* ad *Sipylum* montem victus, & omni Asia cis Taurum spoliatus fuit. Hujus belli fax Annibal fuit.

3801. xii. *Punicum* III. cujus M. *Cato* suasor fuit, dissuadente P. *Cornelio Nasica*, in quo Carthago tandem à Scipione Africano *Minore* expugnata, & incendio 17. dierum deleta est.

xiii. *Achaicum*, in quo *Corinthus* à *Mummio* deleta est.

3793. xiv. *Hispanicum*, in quo *Viriathus* Dux *Lusitanorum* Romanos multis cladibus affecit, & tandem emptis percussoribus interemptus est.

3810. xv. *Numantinum*, quod totos viginti annos duravit: in quo *quatuor* millia Numantinorum Romanos inauditis cladibus affecerunt, & *Mancinum* ad turpissimam pacem adegerunt: Tandem à *Scipione Africano* fame expugnati se cum tota urbe cremaverunt.

3893. xvi. *Ingurthinum*, in quo *Iugurtha* Rex *Numidiæ*, callidus, perfidus, & for-

fortissimus propter necem fratrum suorum à *Metello* & *Mario* victus, triumphatus, & in carcere necatus est.

3841. XVII. *Cimbricum*, in quo *Cimbri* à C. *Mario* deleti, & eorum uxores ad desperationem adactæ sunt.

3876. XVIII. *Mithridaticum*, quod Romani contra *Mithridatem* Regem Ponti totos triginta annos gesserunt, in quo *Mithridates* omnibus per Asiam Romanis uno edicto interfectis, maximis rebus gestis, à *Sylla*, *Lucullo*, tandemque *Cn. Pompejo* victus, & à filio suo *Pharnace* obsessus, cum se veneno non posset interimere, à servo confossus est.

XIX. *Parthicum*, in quo *M. Crassus Dives*, à Parthis captus, & occisus, inque rictum oris ejus aurum liquidum infusum est.

XX. *Servile*, quod *Eunus* quidam simulato furore excitavit, in quo servi tumultuantes debellati sunt.

XXI. *Spartacum* sive *Gladiatorium*, in quo *Spartacus* gladiatores & servos armavit, ac tandem ad desperationem adactus est.

XXII. *Sertorianum*, quod *Sertorius* à *Sylla* proscriptus in Hispania suscitavit, & multis fortiter feliciterque gestis tandem perfide à suis in cœna interfectus fuit.

Hæc fuerunt præcipua bella *Externa*. Sequuntur jam *Civilia* seu *Interna*.

I. *Marsicum*, sive *Italicum*, quod Itali

pro jure civitate contra Romanos gesserunt, & in quo tandem subacti sunt.

3868. II. *Marianum*, ortum propter Imperium belli Mithridatici inter *Syllam* & *Marium*, in quo *Sylla* Romam occupavit, *Marius* ex *Minturnensi* carcere elapsus, eam recepit, multisque crudeliter cum *Cinna* peractis, tandem *Sylla* prævaluit, ac cædibus & proscriptione in adversarios inhumaniter sæviit.

3887. III. *Catilinarium*, in quo *Catilina*, qui contra Remp. conjuraverat, à *Cicerone* Consule urbe pulsus, & à C. Antonio victus, cæsusque in prælio est.

3900. IV. *Pompejanum*, in quo *Pompejus Magnus* à Julio Cæsare Italia pulsus, & in Pharsalicis campis victus in Ægyptum fugit, ac ibi jussu Ptolemæi Dionysii Regis interfectus est, ejusque partes ab *Antonio* & *Octavio* plane deletæ sunt.

Fuerunt & *Seditiones* aliquot *civiles*, velut *Siciniana*, *Virginiana*, *Canulejana*, *Liciniana*, *Gracchiana*, *Saturnina*, *Drusiana*, pleræque inter plebem & nobilitatem ob honorum communionem gestæ.

Finis Status Consularis.

Sequuntur IMPERATORES & res sub iis gestæ.

3902. I. *Iulius* CÆSAR, qui oppressa libertate Imperium Dictatoris invasit, & in curia à conjuratis *M. Bruto*, *Cassio* & aliis occisus est.

3907.

3907. II. Augustus percussoribus Cæsaris proscriptis, victo S. Pompejo & M. Antonio *Ianum* clausit, & Imperium felicissime annos LVI. administravit.

Anno Christi 15. III. *Tiberius*, simulator & dissimulator maximus, Germanico filio per *Pisonem* sublato, Capreis ebrietati, libidini, crudelitati indulgens oppresso *Sejano*, pulvino suffocatus periit, summa populi lætitia.

37. IV. *Caligula*, prodigalitate & immanitate plus quam monstrum, equum suum Consulem creat, & perpetratis ingentibus sceleribus, à militibus interficitur.

41. V. *Claudius*, homo stolidus, non tamen omnino pessimus, multa moderate feliciterque, multa stulte & crudeliter agit, *Messalinam* impudicissimam cum Silio interficit, & ducta Agrippina ab eadem veneno tollitur.

54. VI. *Nero*, primo quinquennio bonus, postea pessimus *Caligulam* imitatur, matrem *Agrippinam*, Præceptorem *Senecam* & optimum quemque interemit, & rebellantibus passim exercitibus seipsum interficit.

68. VII. *Sulpicius Galba* ob avaritiam occiditur à militibus.

68. VIII. *Salvius Otto*, Vitellium tribus præliis vincit, quarto victus seipsum interimit, odio civilium bellorum.

68. IX. *A. Vitellius* Capitolium cremat, miserrime necatur.

69. x. *Fl. Vespasianus* Germanos duce *Civili* Batavo tumultuantes reprimit, magna tributa exigit, per *Titum* filium *Hierosolymam* solo æquat.

79. xi. *Titus Vespasianus* clementia & liberalitate excellit.

81. xii. *Domitianus*, vitiosissimus homo secundam persecutionem contra Christianos movet, muscas conficit, pro Deo coli vult, occiditur.

xiii. *Coccejus Nerva* optimus Princeps *Trajanum* adoptat.

98. xiv. *Ulpius Trajanus* Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam subigit, *Decebalum* vincit.

119. xv. *Adrianus* in Britannia murum struit contra irruptiones *Scotorum* & *Pictorum*, Judæos ingenti clade debellat.

138. xvi. *Antonius Pius* mitissimus Princeps Germanos, Dacos, Judæos contundit.

161. xvii. *Antoninus Philosophus* Parthos coërcet, Marcomannos precibus *legionis fulminatricis* vincit.

180. xviii. *Commodus*, monstrum hominis, Britannos domat, à *Narcisso* tollitur. Sub eo Scotia ad fidem Christi conversa.

193. xix. *Pertinax* octogesimo quinto die imperii occiditur.

193. xx. *Didius Iulianus* imperium emit, jussu Senatus occiditur.

193. xxi. *Septimius Severus* Princeps su-

suspicax & crudelis *Pescennium Nigrum* & *Albinum* Anti-Cæsares vincit, Britannos domat, Christianos persequitur.

211. XXII. *Antonius Caracalla* fratrem *Getam* in sinu matris occidit, *Iulia* matre pro uxore utitur.

217. XXIII. *Opilius Macrinus* à militibus opprimitur.

XXIV. *Varius Antoninus Heliogabalus* homo turpissimus & luxuriosissimus miserum exitum habet.

222. XXV. *Alexander Severus* Princeps bonus Parthos vincit, in Germania cum matre occiditur.

234. XXVI. *Iulius Maximinus* homo ferox *Gordianos* opprimit, ad *Aquilejam* cum filio pulcherrimo perit.

237. XXVII. *Gordianus Iunior* in Persia occiditur.

244. XXVIII. *Iulius Philippus Arabs*, Christianismum amplectitur, in conflictu cum *Decio* occiditur.

251. XXIX. *Decius* cum Gothis pugnat, occiditur.

252. XXX. *Vibius Gallus* fedus cum hoste ignominiose facit, ab *Æmiliano* vincitur.

256. XXXI. *Æmilianus* à militibus eligitur & occiditur.

XXXII. *Licinius Valerianus* à *Sapore* Persarum Rege captus miserrime tractatur, & pelle detracta occiditur.

260. XXXIII. *Gallienus* impius in Pa-

trem *Valerianum*, cum triginta Tyrannis confligatur, in obsidione *Mediolani* occiditur.

267. XXXIV. *Claudius Dalmata Alemannos* prope lacum *Benacum* fundit, cum Scythis acre bellum gerit.

269. XXXV. *Valerius Aurelianus* Marcomannos victores vincit, *Zenobiam* in triumpho ducit.

276. XXXVI. *Claudius Tacitus* Scythas repellit, historiam *Corn. Taciti* magni facit.

277. XXXVII. *Aurelius Probus* Germanos & *Sarmatas* contundit, *Saturninum* Anti-Cæsarem amovet.

283. XXXVIII. *M. Aurelius Carus Carinum* & *Numerianum* filios Cæsares appellat.

284. XXXIX. *Diocletianus Carinum* vincit, *Aurelium Maximianum* & *Galerium Maximinum* adoptat, imperio sponte se abdicat.

XL. *Fl.Constantius Chlorus* Maximianum interficit. *Eboraci* in Britannia moritur.

306. XLI. *Constantinus Magnus* Maximianum socerum strangulat; *Maxentium* in Tiberi suffocat, *Licinium* opprimit, sedem imperii, relicta Roma, *Constantinopolim* transfert.

Hactenus igitur de Romano Imperio *Indiviso*. Sequitur jam *Divisum*. Nam *Constantinus M.* Imperium in *Occidentale* & *Orientale* divisit, quæ divisio postea semper duravit.

IMPE-

IMPERATORES OCCIDENTIS.

1. *Conſtantinus* II. tertio Imperii anno occiditur.

11. *Conſtans Athanaſium* defendit, fraudulenter interficitur.

His interfectis *ſolus Conſtantinus* factus eſt Imperator & *Orientis* & *Occidentis*, qui *Magnentium* victum ad mortem adigit, de *Gallo* crudeli Cæſare ſupplicium ſumit, *Iulianum* ſocium adſciſcit, ab eo deſeritur.

361. *Iulianus Apoſtata* Ethnicam Religionem abolito Chriſtianiſmo reſtituere conatur: Templum Hieroſolymitanum reſtituere fruſtra molitus, in bello Perſico ab ignoto Equite occiditur.

363. *Iovinianus* cum *Sapore Rege Perſarum* pacem ignominioſam facit.

364. *Valentinianus* cum Valente imperium dividit. Valens à Gottis comburitur.

375. *Gratianus* Theodoſium collegam adſciſcit, *Alemannos* profligat.

Sub eo *Maximus* Dux *Eugenium* Scotorum regem in Britannia vincit.

Valentinianus II. *Maximum* per *Theodoſium* vincit, ab *Argobaſte* ſtrangulatur.

379. *Theodoſius* Gottos comprimit, *Eugenium Tyrannum* debellat, *Honorium* & *Arcadium* filios Imperatores creat.

Ita iterum alii in Oriente, alii in Occidente Imperatores.

In OCCIDENTE.

393. *Honorius Alaricum* Italia pellit, *Stilico-*

Stiliconem occidit, ab *Alarico* Ravennæ obfidetur.

Sub eo Gothi, Vandali & aliæ gentes Scythicæ Imperium Romanum miferrime vaftarunt.

408. II. *Valentinianus* III. maximis cladibus exercetur, ob impudicitiam occiditur.

Sub eo *Attila* Rex *Hunnorum* Italiam vaftavit & *Anglo-Saxones* contra Scotos evocati in Britanniam venerunt.

Poft eum Imperium Occidentis plane à Barbaris deftructum fuit, & tum regna *Franciæ*, *Angliæ*, *Hifpaniæ*, *Italiæ*, *Lombardiæ* conftituta funt.

Ultimus autem Imperatorum in Occidente *Auguftulus* fuit, poft quem nulli amplius fuerunt ufque ad *Carolum Magnum*.

IMPERATORES ORIENTIS *five* GRÆCI.

397. I. *Arcadius Ruffinum* & *Eutropium* opprimit.

408. II. *Theodofius* II. Perfas vincit.

450. III. *Marcianus*.

457. IV. *Leo* V. *Zeno*, & alii longo ordine, ex quibus *celebriores* fuerunt:

527. *Iuftinianus*, qui per *Belifarium* Africam à *Vandalis* recepit, per *Narfetem* Gothorum regnum in Italia deftruxit, *Corpus Iuris* per *Tribonianum* & alios compilavit.

586. *Mau-*

586. *Mauricius* avaritia fœdus, qui milites captivos exiguo ære redimere noluit, à *Phoca* misere cum omni familia occiditur.

602. *Phocas Bonifacium* III. declarat *Caput Ecclesiæ*, ab *Heraclio* comburitur.

610. *Heraclius* Persas vincit. Sub eo exortus est *Mahommedes* falsus *Propheta* in *Arabia*, qui Imperium *Saracenicum* condidit. Ab eo tempore perpetua inter Imperatores *Orientis* & *Saracenos* bella fuerunt.

716. *Leo Isaurus* Saracenos ingenti prælio vincit, imagines templis ejicit.

Irene Imperatrix, Imperium Occidentis *Carolo Magno* concedit. Ab eo tempore iterum Imperatores *Orientis* & *Occidentis* esse cœperunt.

Sed Imperium *Orientis* magis magisque à *Saracenis* & *Turcis* debilitatum est, adeo ut omnem *Asiam* amitterent Imperatores Græci. Fuerunt autem plerique eorum vitiosissimi homines, & vitiorum mancipia.

Donec tandem Latini circa A. C. 1204. Imperio *Orientis* potirentur, quorum primus fuit *Balduinus* Flandriæ Comes.

Sed illi iterum aliquandiu post à *Græcis* ejecti fuerunt; sicut etiam *Saraceni Syriam* & *Hierosolymam* à *Christianis* recuperarunt. Imperium *Orientis* tandem omnino à *Turcis* destructum fuit, quod factum est Anno 1453. quo Anno *Mahommed* II. urbem

Constan-

Constantinopolin expugnavit, & ultimum Imperatorem Græcum *Constantinum Palæologum* interfecit.

Finis Historiæ Veteris.

Sic habuit Historia *Vetus.* Sequitur *Nova.*

Eaque iterum vel *Europæa*, vel *Asiatica*, vel *Africana*, vel *Americana.*

Europæa est vel *Hispanica*, vel *Gallica*, vel *Germanica*, vel *Italica*, vel *Polonica*, vel *Britannica*, vel *Danica*, vel *Suedica*, vel *Moscovica*, vel *Veneta*, *Helvetica*, *Belgica*.

HISPANICA.

Hispaniam post Romanos primi tenuere *West-Gotthi*, quorum primus Rex fuit *Wallia*, ultimus *Rodericus.*

713. Hic à Saracenis ex Africa advectis debellatus fuit: sicque tota *Hispania* in potestatem *Saracenorum* pervenit. Haud diu post *Gothi*, qui cladem hanc evaserant, in montosis regionibus nova regna condere cœperunt, nimirum *Legionis* & *Navarræ*, quæ progressu temporis adeo multiplicata sunt, ut tandem in quatuordecim *Minora* & tria *Majora* excreverint.

Tria *Majora* fuerunt *Regnum Castiliæ*, *Aragoniæ*, & *Portugalliæ*.

Mauri etiam interea continuis seditionibus debilitati, omnia præter *Bæticam*, quod *Regnum Granadense* vocamus, amiserunt.

Tandem

Tandem Regna *Castiliæ* & *Aragoniæ* conjugio *Ferdinandi* & *Isabellæ* unita sunt.

Is *Ferdinandus* cognomento *Catholicus* prima fundamenta *Hispanicæ Monarchiæ*, qualis hodie est, posuit.

Eo regnante *Neapolis*, *Navarra*, *Granada* Castiliæ adjecta.

Novus quoque *Orbis*, quem *Americam* vocamus, Anno 1492. per *Christophorum Columbum* detectus est, & Hispania immensis opibus ditata.

Eo igitur tempore Hispania dividebatur in *duo* regna *Castilianum* & *Portugalliæ*, quorum illud *Indias Occidentales*, hoc *Orientales* invadere & occupare cœpit.

Reges à *Ferdinando Catholico* usque ad nos hi fuerunt.

1474. I. *Ferdinandus* Rex *Aragoniæ*, ducta *Isabella* Regina *Castiliæ*, duo hæc regna conjungit, & potentiam Hispanorum mirabili successu auget.

1506. II. *Philippus Archi-Dux Austriæ*, *Dux Burgundiæ*, *Maximiliani* I. Imperatoris filius, ducta *Iohanna* unica *Ferdinandi* & *Isabellæ* filia, fit *Castellæ Rex*:

Sic igitur *Domus Austriaca* & *Belgicas Provincias* & *Castiliam* occupavit, & Imperatores Germaniæ, Regesque Hispaniæ ex una domo sunt.

Nam *Maximilianus* I. Imperator ducta *Maria Caroli Audacis* Burgundiæ Ducis filia factus est Dominus Belgii, eique filius ejus successit, qui Castiliæ Rex factus est.

1516.

1516. III. *Carolus* V. Rex Castiliæ, Princeps Belgii, Imperator Germaniæ, Monarchiam Hispanicam ad summum fastigium deduxit, & in *America* regnum *Mexicanum* & *Peruanum* aliasque innumeras Provincias occupavit.

1559. IV. *Philippus* II. qui Belgicas septem Provincias confederatas ob tyrannidem suam amisit, *Portugalliam*, cæso in Africa *Sebastiano* rege, per vim occupavit, ingentem classem A. 1588. contra Elizabetham Angliæ Reginam misit, & perdidit, Galliam turbavit, multaque infeliciter gessit.

Sub eo *Monarchia Hispanica* vehementer declinare cœpit.

1598. V. *Philippus* III. inducias cum Belgis in 12. annos iniit, Mauros tota Hispania pepulit.

1621. VI. *Philippus* IV. qui hodie regnat *Cataloniam* & *Portugalliam* cum magna *Flandriæ* & *Artesiæ parte amittit*, bellum cum *Gallis* & *Batavis* infeliciter gerit.

Sub eo *Monarchia Hispanica* ingens detrimentum accepit.

PORTUGALLIÆ REGNUM.

Ab Emmanuele I.

Emmanuel Rex Portugalliæ primus is fuit, qui magnam Africæ & Indiæ Orientalis partem invasit, ac coloniis suis occupavit. Ab eo igitur tempore *Portugalli Indiæ Orientalis* Domini facti fuerunt.

1521. *Io-*

1521. *Iohannes* III. qui in *Brasiliam* colonias suas misit, & eam sibi subjecit.

1557. *Sebastianus*, qui in *Africano* bello cæsus periit.

Post mortem ejus *Henricus Cardinalis* uno anno 1579. regnavit.

Eo extincto cum *Antonius* verus & legitimus heres regni esset, *Philippus* II. Rex Castiliæ per Ducem *Albanum* Portugalliam subegit.

Itaque igitur ab A. 1580. ad A. 1640. sub potestate Castilianorum Portugallia fuit. Anno autem 1641. Portugalli pertæsi servitutis & tyrannidis Castellanæ, *Iohannem Ducem Braganzæ* Regem crearunt, ad quem etiam regnum de jure spectabat. Ita igitur in Portugallia regnavit.

1641. *Iohannes* IV. qui fœdere cum Gallia & Batavis inito, bellum contra Castellanos gessit, conspirationes oppressit, Brasiliam Batavis eripuit. Ei successit filius *Alfonsus* qui Hispanos ad Evoram magno prælio profligavit. Aumaliam ducit.

GALLICA.

Gallia post Romanos in potestatem Francorum venit, qui ex Germania eo transgressi sunt circa Annum 400.

419. *Primus* ipsorum Rex fuit *Pharamundus*, sive *Meroveus*, eujus progenies duravit usque ad *Carolum Magnum*.

Tres igitur regiæ Prosapiæ in universum hactenus in Gallia regnarunt.

1. *Mero-*

I. *Merovingi*, à *Merovæo* ad *Childebertum*.

Inter hos clarissimi fuerunt:

483. *Clodovæus*, qui primus fidèm Christianam suscepit.

Carolus Martellus, qui maximas res contra *Saracenos* & *Hispanos* gessit.

753. II. *Carolingi*, à *Pipino* usque ad *Ludovicum V*.

Inter quos clarissimi fuerunt.

Carolus Magnus, qui Galliam, Germaniam & Italiam conjunxit, *Longobardos* & *Saxones* debellavit, ac primus Imperator Occidentis, cum pèr aliquot secula nullus fuisset, factus est.

Ejus posteri:

814. *Ludovicus Pius*.

841. *Lotharius*, inde post alios,

892. *Carolus Simplex* & alii aliquandiu Franciam tenuerunt, donec in socordiam lapsi, & civilibus bellis debilitati, post Italiam ac Germaniam, tandem etiam Galliam amisere.

987. III. *Capetingi*, ab *Hugone Capeto* usque ad *Ludovicum* XIV. qui hodie regnat.

Hæc linea dividitur in duos ramos, *Valesios* & *Burbonios*.

Nam cum *Carolus Pulcher* anno 1328. sine prole mascula obiisset, successit ei secundum legem Salicam *Philippus Valesius*: Inter quem & Edoardum III. Regem Angliæ de successione ortum est gravissimum bellum.

bellum. Nam *Edoardus* natus erat ex sorore *Caroli Pulchri*.

Ab eo tempore perpetua fere & gravissima bella inter Anglos & Gallos fuerunt, ac Angli toto fere Regno Galliæ aliquoties potiti fuerunt.

Valesii igitur regnarunt in Gallia à *Philippo Valesio*, usque ad *Henricum* III.

1328. *Philippus Valesius*, infelix bellum cum *Edoardo* III. gerit.

1350. *Iohannes* capitur ab *Edoardo Nigro*, & in Angliam captivus abducitur. Hoc prælium memorabile fuit, in quo 8000. Angli ad desperationem adacti 60000. Gallorum profligarunt in *Pictonibus*.

1364. *Carolus* V. sapiens, fractas res Gallorum magna prudentia restituit, & pleraque recuperat magis calamo quam armis. De eo questus est Eoardus Rex Angliæ, Nullum hostem illo minus armari, & plus negocii facessere.

1380. *Carolus* VI. Flandros duobus præliis vincit, ludis nocturnis pice delibutus fere incendio perit, à *Philippo Burgundiæ Duce*, & *Henrico* V. *Rege Angliæ*, toto fere Regno Galliæ exuitur; *Henricumque Anglum* hæredem regni post mortem suam declarat.

1423. *Carolus* VII. contemptim *Biturigum* Rex dictus, per *Iohannam puellam Lotharingam* Anglos variis cladibus afficit, *Aurelianensem* obsidionem solvit, pace cum *Philippo*

Philippo Burgundo facta *Lutetiam* recipit.

1467. *Ludovicus* XI. à Carolo Burgundiæ Duce perpetuis bellis infestatur. Ei socius fuit in expugnando *Leodio*, *Comitem S. Pauli* supplicio afficit, Ducatum Burgundiæ occupat.

1484. *Carolus* VIII. Regno Neapolitano potitur.

1498. *Ludovicus* XII. *Ludovicum Sfortiam* Ducatu *Mediolani* exuit, eumque ab Helvetiis desertum capit: Regnum Neapolitanum cum *Ferdinando* Rege *Hispaniæ* dividit, & ab *Consalvo* de *Corduba* sua parte spoliatur, *Iulium* II. Pontificem ad Ravennam vincit: amisso iterum *Mediolano* ad *Novariam* ab Helvetiis vincitur.

1515. *Franciscus* I. Ducatum Mediolanensem recuperat, & iterum amittit, à *Carolo* V. Imperatore ad *Ticinum* captus, perpetuum cum eo bellum gerit.

1548. *Henricus* II. *Metos* expugnat, prospere contra *Carolum* V. belligeratur, in hastiludio perit.

1560. *Franciscus* II. primo anno Regni obit.

1561. *Carolus* IX. bellum *Hugonotis* infert, nuptias Parisiis crudelissimas celebrat.

1574. *Henricus* III. ult. *Valesiorum*, Poloniæ Rex creatus, bellum cum Hugonotis gerit; à *Guisiis* & *Liga* toto fere regno exuitur, in obsidione Lutetiæ, à Monacho *Iacobo Clemente* ultro confoditur.

Finis Valesiorum.

BUK-

Burbonii.

1590. *Henricus* IV. Rex Navarræ bellum contra *Ligistas* continuat; ad Papistas deficit, totaque Gallia mirabili virtute pacata à *Ravaillaco* Parisiis confoditur.

1610. *Ludovicus* XIII. Justus *Ancræum* tollit, bellum contra matrem & fratrem gerit, *Rupellam* expugnat, ductu *Cardinalis Richelii* maximas res in Italia, Germania, Hispania, Flandria gerit.

1642. *Ludovicus* XIV. qui hodie regnat, sub tutela matris, per *Cardinalem Mazarinum*, *Ducem Aurelianensem*, Principem *Condeum*, aliosque bellum in Italia, Catalonia, Flandria, Germania continuavit, regnum nunc reformat, Anglis bellum infert.

HISTORIA BRITANNICA.

Insulæ Britannicæ jam à multis seculis in tria regna divisæ fuerunt:

Angliam, *Scotiam*, *& Hiberniam*.

HISTORIA ANGLICA.

430. Cum Romani sub *Valentiniano* III. Imperatore Britanniam deseruissent, Rex *Vortigernus* à Scotis & Pictis afflictus, *Anglo-Saxones* ex Germania contra eos evocavit. Illi sub *Hengisto* & *Horsa* eo delati paulatim Britannos expulerunt, & insula potiti sunt. Britanni in Galliam, *Cambriam* & *Cornubiam* pulsi ibidem hodieque subsi-

subsistunt. Anglo-*Saxones* primo Regna constituerunt, *Cantium*, *Suffexiam*, *West-Sexiam*, *Merciam*, *Essexiam*, *Eastangliam*, *Northumbriam*, quæ tandem A. 800. ab *Egberto West-Saxonum* Rege omnia in unum Regni Angliæ corpus redacta sunt. Paulo post *Dani* sub Rege *Canuto* ea potiti sunt, & in Anglia regnarunt. Postea *Haraldus* à *Wilhelmo Conquestore* Duce *Normanniæ* victus est, & sic Anglia in potestatem Normannorum venit. *A Wilhelmo Conquestore* hi *Reges regnarunt.*

1066. I. *Wilhelmus Conquestor* Anglia potitur, & leges linguamque Normannorum introducit.

1088. II. *Wilhelmus Rufus* in venatione occiditur.

1111. *Henricus* I. *Bellus* sive *Clericus* fratre *Roberto* victo, Normanniam Angliæ regno subjicit.

1136. IV. *Stephanus* Regnum armis occupat, & inter perpetua bella tenet.

1155. V. *Henricus* II. propter cædem *Thomæ Cantuariensis Episcopi* misere à Papa exercetur.

1198. VI. *Richardus* I. ob fortitudinem dictus *Cor leonis* maximas res gerit contra *Saracenos*: à Leopoldo Duce Austriæ capitur, in Pictonibus perit sagitta percussus.

1200. VII. *Iohannes* infelicissimus Rex à Papa & Baronibus suis misere exagitatur, & à *Monacho* veneno interimitur.

1217.

1217. VIII. *Henricus* III. Princeps socors pessime regnum administrat, à *Baronibus* bello affligitur, capitur, ab *Edoardo* filio liberatur, proscribit hostes suos & omnia turbis implet.

1273. IX. *Edoardus* I. *Iohannem Baliolum Scotiæ* regem defendit; tota fere Scotia potitur, eos ingenti prælio profligat.

1306. X. *Edoardus* II. maximis cladibus à *Roberto Bruys* Scotorum Rege adficitur, ab uxore *Isabella* & *Edoardo* filio propter regnum maleatque infeliciter administratum capitur, & immani mortis genere interficitur.

1326. XI. *Edoardus* III. pace cum Scotis inita, bellum *Philippo Valesio* ob regnum Galliæ infert, eumque multis præliis vincit, maxime ad *Slusam*, & *Sylvam Cressiacam*, Equites *Garterianos* instituit, Regem Johannem capit, & duris conditionibus pace facta dimittit.

1377. XII. *Richardus* II. *Hiberniam* subigit, male regnum administrat, capitur, regno cedit, fame necatur.

Lancastrenses.

1399. XIII. *Henricus* IV. filius Ducis Lancastriæ *Richardum* capit, necat, *Scotos* & *Barones* vincit.

1413. XIV. *Henricus* V. tota fere Gallia potitur, adjuvante *Philippo Bono Duce Burgundiæ*, à *Carolo* VI. successor regni constituitur.

1422. XV. *Henricus* VI. Lutetiæ coronatur Rex Galliæ, bellum contra *Carolum* VII. gerit, pleraque amittit, domesticis seditionibus agitatus vincitur & ab *Edoardo* IV. capitur.

Eboracenses.

1460. XVI. *Edoardus* IV. *Eboracensis* regno pellitur, *Henrico* VI. carcere liberato, fugit ad *Carolum Burgundiæ* Ducem, ejus ope Angliam recuperat, *Henricum* VI. iterum in carcerem compingit, fratrem suum *Clarentiæ Ducem* in Malvatici vini dolio suffocat. Sub eo recruduit controversia inter Lancastrios & *Eboracenses*, quæ Angliam cædibus ac turbis ingentibus implevit.

1482. XVII. *Edoardus* V. cum fratre à *Richardo* patruo perfide & crudeliter interficitur.

1482. XVIII. *Richardus* III. crudelissimus Tyrannus, in prælio apud Lecestriam cæditur ab *Henrico* VII.

1484. XIX. *Henricus* VII. sapientissimus regum Angliæ, ferales *Eboracensium* & *Lancastriorum* contentiones, ducta *Edoardi* IV. filia exstinguit, à subornato *Duce* Eboracensi *Perkin Warbeck* exagitatur, regnum prudentissime administrat, & unionis regnorum *Scotiæ* ac *Angliæ* fundamenta ponit.

1509. XX. *Henricus* VIII. Rex Magnanimus, bellum cum Gallo gerit, *Catharinam Ferdinandi Catholici* filiam repudiat,

Papæ

Papæ jugum excutit, Monasteria diruit, uxores suas capite plectit, contra Lutherum scribit, *Defensoris* fidei titulum accipit.

1547. xxi. *Edoardus* VI. incomparabilis ingenii puer, Angliam reformat, & anno ætatis XVI. obit, veneno, ut putatur, sublatus.

1555. xxii. *Maria* Ducem *Suffolciæ* & *Ianam Grajam* capite plectit, Euangelicos crudeliter persequitur, Papismum restituit, *Caletum* amittit, *Philippo* II. Regi Hispaniæ nubit, *Elizabetham* sororem in carcere detinet.

1560. xxiii. *Elizabetha* Euangelium in Anglia restituit, Belgas contra *Philippum* II. Regem Hispaniæ defendit, classem ejus profligat, multoties immissis percussoribus periclitatur, gloriosissime & diutissime regnat, *Mariam* Scotorum Reginam capite plectit, *Iacobum* VI. filium ejus successorem declarat, anno 1603. obit.

Sic desiit familia *Regum Angliæ*, & regnum ad *Scotos* pervenit; totaque Britannia sub unum sceptrum redacta est.

HISTORIA SCOTICA.

Scotia antiquissimum regnum est, & quod semper in sua libertate nulli extraneo regi subjectum perduravit. Primus in ea rex fuit *Fergusius*, quem tempore Alexandri Magni vixisse & regnasse ferunt. Ab eo

ad *Carolum* Reges numerantur CLXIII. Sed primi illi à Fergusio Reges merito suspecti habentur Historicis.

Vera autem Scotiæ historia incipit ab *Anno* 430. quibus temporibus *Anglo-Saxones* in Britanniam venerunt.

Scoti primo sedes suas in *Hibernia* habuerunt. Ex ea trajecerunt in *Caledoniam*, quæ est *Scotia*, ac sedes in ea cum Pictis posuerunt: ita ut tum duo regna essent, *Scotorum* & *Pictorum*. Postea *Picti* An. 930. à *Scotorum* rege *Kennetho* penitus deleti sunt: & sic *Scoti* soli rerum potiti sunt, ac progressu temporis eam *Northumbrici* regni partem, quæ ad *Firtham* extenditur, sibi subjecerunt. Atque hinc fit, quod hodie *Australes Scoti* Saxonice loquantur, *Boreales* Hibernice; quia illi ab *Anglo-Saxonibus* orti sunt: hi vero ab Hibernis & Britannis.

Res maxime memorabiles hæ sunt.

Circa Annum 800. *Achæus* Rex Scotorum fedus cum *Carolo Magno* Imperatore *Romano* & Rege Galliæ inivit, quod ab eo tempore semper duravit, & sæpius contra communes hostes innovatum fuit.

Cum *Alexander* III. sine prole obiisset Anno 1285. *Scotia* in maximas contentiones ob successionem incidit. Duo autem prætendebant jus in regnum, *Iohannes Baliolus* & *Robertus Bruys*.

Iohannes auxilio *Edoardi* I. Regis Angliæ contra voluntatem Scotorum ad re-

gnum

gnum pervenit, & paulo post ab Anglis captivus abductus fuit. Interea Scotia per *Delegatos* quosdam Regentes nomine *Anglorum* gubernata fuit. 1305. *Scoti* igitur *Robertum Bruys* Regem eligunt, & is Anglos tota Scotia ejicit, & *Edoardum* II. duobus maximis præliis vincit. Huic successit A. 1331. *David* filius, qui ab *Edoardo* filio *Iohannis Balioli* fuit regno pulsus, & in Franciam fugatus. Eo absente *Robertus Stuard* regnum gubernavit.

1370. Post obitum *Davidis*, Scoti elegerunt *Robertum Stuardum*. Ei successit

1390. *Robertus* III.

1406. *Robertus* IV.

1424. *Iacobus* I.

1437. *Iacobus* II.

1460. *Iacobus* III.

1488. *Iacobus* IV. Occisus in prælio ab Anglis.

1513. *Iacobus* V. qui duxit *Mariam* filiam Ducis *Guisiæ*, ex qua nata fuit *Maria*, quæ nupsit *Francisco* II. Regi *Galliæ*, & postea *Henrico Stuardo*, ex quo suscepit *Iacobum* VI.

Ejus temporibus maximi in Scotia tumultus fuerunt, ac bellum inter Ordines & *Reginam Mariam* ortum fuit:

Maria Gallos, Ordines Anglos in auxilium suum evocarunt. Tandem *Maria* capta in Anglia, cum per septendecim annos in carcere detenta fuisset, capite plexa fuit. Interea successit in *Scotia*,

1581. *Iacobus* VI. qui sedatis in Scotia tumultibus conspiratione fratrum *Gureyorum* fere oppressus, factiones tota Scotia regnantes, prudentissime pacavit, & ad pacis artes conversus, Ecclesias ac regnum plene pacavit; ac ab *Elizabetha* Angliæ Regina, hæres scriptus, ei jure agnationis successit.

Sic Anglia & Scotia, adeoque tota Britannia, quod à condito orbe factum non fuerat, sub unius Regis Monarchiam venit, anno 1603.

Reges Magnæ
BRITANNIÆ.

1603. I. *Iacobus* I. initio regni in Anglia *conspirationem pulverariam* feliciter evadit, pacem cum *Hispanis* init, *Episcopos* in Scotia introducit, pacifice regnat, filiam *Elizabetham Frederico Electori Palatino* desponsat, eum Regem *Bohemiæ* creatum deserit, *Carolum* filium in Hispaniam mittit, *Buckinghamium* evehit.

1625. II. *Carolus* I. *Mariam Ludovici* XIII, *Regis Galliæ* sororem ducit, Rupellensib. infeliciter per *Buckingamium* auxilia ferre conatur, ab Episcopis inductus, *Liturgiam* novam & Canones in Scotia introducit, ac propterea in bellum cum Scotis incidit: quo sedato, *Parlamentum* in Anglia *convocat*, *Straffordium* Hiberniæ Proregem capite invitus plectit, in bellum cum *Parlamento* incidit, ad *Edgehillam*,

gebillam , *Nuberiam* , *Marstommoorum*, *Nazebyn*, magnis præliis vincitur : tandem in castra Scotorum concedit, ab illis Parlamento committitur, & frustra de pace tractans , capite plectitur.

HISTORIA HIBERNICA.

Hibernia olim in quatuor regna divisa fuit. Ultimus in ea Rex fuit *Rodericus*, qui oppressis aliis Regibus Monarcham Hiberniæ se scripsit. Oppressi ad Regem Angliæ *Henricum* II. confugiunt, qui missis copiis *Rodericum* profligat, & Hibernia potitur. Ab eo tempore *Hibernia* regno Angliæ subjecta fuit ; usque ad Annum 1641. quo tempore immanis *rebellio* cœpit trucidatis plusquam ducentis Anglorum & Scotorum millibus.

HISTORIA GERMANICA.

Post collapsum Imperium Romanum, *Germani* non ante quieverunt, quam Imperii dignitatem ad se transferrent. Quod tempore *Caroli Magni* factum, qui primus Imperator *Occidentis* ex Germanis creatus fuit. In ejus familia Imperium aliquandiu duravit, donec Germani sub *Cunrado* I. Imperium omnino occuparent, exclusis Gallis. Ab eo igitur tempore Imperatores Romanorum Germani fuerunt.

Fuerunt autem hi ordine.

912. 1. *Cunradus* bello *Henrici Aucupis* exercetur.

920. II. *Henricus Auceps*, magna cum Hungaris & Slavis bella gessit.

936. III. *Otto* I. Magnus, magna cum Principibus Imperii, Hungaris, Danis, Saracenis bella gerit.

973. IV. *Otto* II. à Lothario R. Galliæ cæditur, Saracenos tanta multitudine cædit, ut *pallida mors* Saracenorum diceretur, ab iis captus, elabitur.

984. V. *Otto* III. cognomine *Mirabilia mundi*, Imperium Germanis confirmat, septem Electores Imperii instituit, *Boleslaum* Poloniæ Regem creat, chirothecis venenis infectis tollitur.

1001. VI. *Henricus* II. *sanctus* sive *claudus*, à *Willegiso* Moguntino Episcopo coronatus, bellum in Italia & Polonia gerit. Ejus uxor *Kunigunda* castitatem suam ferro candente probat.

1024. VII. *Conradus* II. Salicus, Apulia Normannis data, repressis æmulis, Polonos, Italos, Hungaros domat.

1030. VIII. *Henricus* III. Niger Bohemos, Hungaros, Italos, domat.

1056. IX. *Henricus* IV. flagitiis in juventute infamis, à *Gregorio* VII. excommunicatus, æmulos *Rudolphum* Suevum, *Hermannum* Saxonem, *Egbertum* Misnensem vincit; tandem à filio suo *Henrico* V. Imperio exuitur.

1106. X. *Henricus* V. patrem Imperio exuit, à Papa excommunicatus, ei tandem cedit investituram.

1125. xi. *Lotharius* II. Conradum Anti-Cæsarem removet, Italiam pacat, jus Romanum *Iustiniani* in occidente restituit.

1138. xii, *Conradus* III. Henricum Superbum Bavaria exuit, *Guelfum* Winsbergæ obsessum raro uxorum exemplo dimittit, in Palæstinam expeditione ingloria suscepta, veneno tollitur.

1152. xiii. *Fridericus* Barbarossa Italos rebelles domat, Mediolanum delet, ab *Alexandro* III. ad inhonestas conditiones adigitur, expeditione in Palæstinam suscepta, in fluvio Cydno lavans suffocatur.

1190. xiv. *Henricus* VI. Richardum I. Angliæ Regem capit & duriter tractat, Siculos rebelles punit.

1199. xv. *Philippus* Imperium contra æmulos defendit, ab Ottone Witelspachio nefarie trucidatur.

1209. xvi. *Otto* IV, Imperium amittit.

1212. xvii. *Fridericus* II. à Papa Innocentio IV. deponitur, Anti-Cæsares *Hermannum* Thuringiæ Landgravium, & *Wilhelmum* Hollandiæ comitem pellit, Jerosolymam à Sultano Ægypti recipit.

1250. xviii. *Conradus* IV. à Manfredo fratre spurio veneno necatur. Ejus filius *Conradinus* à Carolo Andegavense Neapoli decollatur, & cum eo familia Ducum Sueviæ extincta fuit.

Post hunc magnum in Germanico Imperio interregnum fuit, quod totos xvii.

vel xxII. annos duravit. Interea *Cæsares* electi fuerunt.

I. *Richardus* Anglus qui pecunia consumta in Angliam inglorius rediit.

II. *Alphonsus* X. Hispaniæ Rex, qui & imperio & regno suo, dum nimium Astronomiæ deditus est, spoliatur.

1273. XIX. *Rudolphus* I. Habspurgicus, Imperium restituit, Ottocarum Bohemum vincit, Alberto filio Austriam dat, Romandiolam Pontifici donat. Italiam deserit, fundamenta *Austriacæ* Monarchiæ ponit.

1291. XX. *Adolphus* Nassovius Edoardi Angliæ Regis partes contra Gallos sequitur, ab *Alberto* Austriaco apud Spiram prælio victus, occiditur.

1298. XXI. *Albertus* I. Austriæ Dux Adolpho occiso à Johanne fratruele suo apud Schafhusam interficitur.

1308. XXII. *Henricus* VII. Italiam pacat, à Monacho dum Eucharistiam sumit, veneno tollitur.

1314. XXIII. *Ludovicus* IV. Rudolphum fratrem Palatinatu pellit, Fridericum Austriacum Anti-Cæsarem capit, à Papis vexatur.

1346. XXIV. *Carolus* IV. Rex Bohemiæ *Italiam* vendit, Imperium largitionibus suis attenuat, Auream Bullam promulgat, Anti-Cæsares auro debellat.

1378. XXV. *Wenceslaus* vitiosissimus homo à Pragensibus captus elabitur, & tandem ab Electoribus deponitur.

1400.

1400. xxvi. *Rupertus* Palatinus bellum in Italia parum feliciter ob sociorum perfidiam gerit, Germaniam pacifice gubernat.

1411. xxvii. *Sigismundus* in Concilio Constantiensi Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem comburit, à *Iohanne Zisca* multoties vincitur.

1438. xxviii. *Albertus* II. Austrius in Hungaria nulla re gesta moritur.

1440. xxix. *Fridericus* III. pacem colit, à *Viennensibus* obsessus liberatur, *Carolum* Burgundum removet, *Maximilianum* filium à Brugensibus obsessum liberat.

1493. xxx, *Maximilianus* I. ducta Margaretha Caroli Audacis filia, Burgundiæ Dux & Princeps Belgii fit, Venetos in angustias redigit, Hungariam & Bohemiam Domui Austriacæ conciliat.

1518. xxxi. Carolus V. Rex Hispaniæ Franciscum I. Regem Galliæ ad Ticinum capit, Romam expugnat, maxima bella in Germania, Gallia, Italia, Africa, & America gerit, imperium deponit, privatus obit.

1558. xxxii. *Ferdinandus* I. Caroli V. frater, pace Religionis confirmata, bella cum *Solymanno* Turcarum Imperatore gerit.

1564. xxxiii. *Maximilianus* II. in Hispania periclitatur, Princeps optimus, pacem Imperio conservat.

1575. xxxiv. *Rudolphus* II. bellum in

Hungaria contra Turcas gerit, à fratribus male tractatur.

1612. XXXV. *Matthias* Hispanici consiliis pervertitur, bellum Bohemicum excitat.

1619. XXXVI. *Ferdinandus* II. Bellum Germanicum continuat. *Fridericum* Palatinum Bohemia expellit, cum Regibus Daniæ & Sueciæ bellum varia fortuna gerit, à GUSTAVO Suecorum Rege gravibus cladibus affligitur, Suecos Nordlingiæ profligat, Protestantes persequitur, Regi Galliæ bellum infert.

1637. XXXVII. *Ferdinandus* III. bellum contra *Suecos* & *Gallos* persequitur, Imperium in maximis difficultatibus gerit, tandem Monasteriensi, Osnabrugensi & Noribergensi pace finem diuturno bello Germanico imponit.

1658. XXXVIII. *Leopoldus* Fratri *Ferdinando* IV. surrogatur, cum *Muhammede* IV. Turcarum Imperatore bellum gerit, Polonis & Danis auxilia contra Suecos fert, amissa Neuheusela & Varadino, Canissa frustra obsessa, pacem cum Turcis init, *Philippi* IV. Hispaniæ *Regis* filia ipsi despondetur.

HISTORIA ITALICA.

ITALIA post collapsum Imperium Romanum, distracta fuit in varios Principatus & ditiones.

Præcipui Principatus sunt, *Sabaudia*, *Medio-*

Mediolanum, Mantua, Parma, Venetia, Florentiã, Genua, Status Ecclesiæ, Regnum Neapolitanum.

Ex his sex imprimis eminent præ aliis: *Sabaudia, Venetia, Mediolanum, Status Ecclesiæ. Florentia, Neapolis* & *Sicilia.*

Sabaudia Ducatus est, cujus Duces potentissimi sunt, & maxima bella gesserunt. Sed anno 1536. *Bernates Helvetii* Sabaudo ademerunt quicquid ad alteram *lacus Lemanni* ripam tenuit.

Inter Duces *Sabaudiæ* præcipue eminuit

Emmanuel, qui magna cum *Gallis* & *Hispanis* bella gessit. Ejus filius, tutelam matre gerente, *Carolus*, sub quo atrox illa Waldensium lanieną A. 1655. à quodam Doctore *Gastaldo* & Inquisitione excitata fuit.

Veneti maximas ditiones in Italia, Illyrico & mari Mediterraneo possident; & Duces suos habent, qui tamen non nisi *Titulares* sunt.

Vrbs Venetiæ exstructa fuit eo tempore, quo *Attila Rex Hunnorum* Italiam vastabat.

Veneti magna bella gesserunt cum *Illyriis, Græcis, Genuensibus, Mediolanensibus, Imperatoribus Germanis, Gallis, Hispanis, Turcis* & aliis.

Hodie bellum gerunt cum *Turcis*, qui pro Insula *Candia*, cujus majorem partem Turcæ tenent, sola urbe Candia adhuc resistente

ſiſtente, contra quam Turcæ novam Candiam extruxerunt.

Mediolanenſis Ducatus *Duces* ſuos habuit, quorum celeberrimi fuerunt, *Galeazii* & *Sfortiæ*, qui magna bella geſſerunt. Poſtea *Ludovicus* XII. *Maximilianum* Sfortiam ejecit, & illo Ducatu tum ipſe, tum *Franciſcus* I. aliquandiu potius fuit: ſed *Carolus* V. *Franciſcum* Sfortiam reſtituit, & eo vita functo Ducatum occupavit, quem hodieque Hiſpanorum Reges tenent.

PAPA ROMANUS tenet maximas ditiones in Italia & ipſam *Vrbem Romam.*

Celebriores *Papæ* fuerunt.

1073. *Gregorius* VII. ſive *Hildebrandus*, qui *Henricum* IV. Imperatorem indignis modis exercuit.

1159. *Alexander* III. qui *Fridericum Barbaroſſam* excommunicavit, & Venetiis conculcavit.

1503. *Iulius* II. qui maxima bella geſſit, & claves *Petri* in Tiberim projecit, accepto *Pauli* gladio.

1513. *Leo* X. ſub quo *Lutherus* exortus eſt, & Religio *reformata.*

1514. *Clemens* VII. ſub quo Roma à Germanis & Hiſpanis expugnata.

1534. *Paulus* III. qui Concilium Tridentinum auſpicatus eſt.

1555. *Paulus* IV.

1560. *Pius* IV.

1566. *Pius* V.

1570.

1570. *Gregorius* XIII. novum Kalendarium promulgat.

1592. *Clemens* VIII. *Henricum* IV. Regem Galliæ per legatos virgis cæſos abſolvit à banno.

1605. *Paulus* V. qui Venetos excommunicavit.

1623. *Urbanus* VIII. Barbarinus, bellum contra Parmenſem Ducem & *Florentinum* gerit pro Ducatu Caſtro, cætera moderatus & doctus Poëta.

1645. *Innocentius* XI. pacem Germanicam per *Fabium Chiſium* irritam pronunciat, irriſus propterea & ſpretus.

1654. *Alexander* VII. initio reformationem Curiæ Romanæ molitur, mox veſtigiis anteceſſorum inſiſtens, novos fidei articulos condit, condemnat Janſeniſtas, cum Gallo rixatur, infallibilis haberi vult.

Florentiæ Ducatus eſt ſub Imperio *Mediceorum* qui vocantur Magni Duces *Hetruriæ*. Præcipui illorum fuerunt:

Laurentius Medices Princeps magnanimus, prudens, & de literis meritiſſimus.

Petrus filius ejus *Florentia* ejectus fuit, cum *Carolus* VIII. expeditionem *Neapolitanam* perficeret.

Poſtea *Carolus* V. obſeſſa Florentia *Mediceos* in Ducatum reſtituit, quorum primus fuit

1530. *Alexander* à cognato ſuo *Laurentio Medice* jugulatus.

1531. *Cosmus* prudentissimus, Senas ditioni adjicit, filios duos trucidat.

GENUA Respublica est, quæ Ducem suum habet. Iis paret insula *Corsica*.

REGNUM NEAPOLITANUM primo Normanni tenuere. Postea pervenit illud ad Duces *Sueviæ*, quorum ultimus *Conradinus* à *Carolo Andegavensi* decollatus fuit *Neapoli*. Ita Duces *Andegavenses* illud regnum aliquandiu tenuerunt.

Sed paulo post, cum *Vesperæ Siculæ* peractæ fuissent, *Sicilia* ad *Arragonios Reges* defecit, qui etiam *Neapoli*, ejectis Gallis, potiti sunt. *Arragonios* ejecit *Carolus* VIII. & deinde *Ludovicus* XII. qui haud diu regnum *Neapolitanum* tenuerunt. Nam *Ludovicum* XII. ejecit *Ferdinandus Catholicus Rex Castellæ*; atque ab eo tempore *Neapolis* est in potestate *Hispanorum*.

HISTORIA DANICA.

Daniæ Reges hodie possident *Daniam*, *Norwegiam* & *Islandiam*. Præcipui fuerunt,

1015. I. *Canutus Magnus*, qui Angliam subegit.

1411. *Margaretha*, quæ *Sueciam* debellavit.

1448. *Christianus* I. *Oldenburgicus*, qui tria regna Septentrionolia tenuit. Sed *Suecia* sub eo iterum defecit.

1482. *Iohannes* magna bella cum *Suecis* gessit.

1514.

1514. *Christianus* II. Suecos subegit, & in eos crudeliter grassatus est, ac propter tyrannidem omnibus regnis ejectus, in carcere obiit.

1513. *Fridericus* I. qui *Christianum* II. ejecit.

1537. *Christianus* III. qui *Christianum* II. cepit.

1559. *Fridericus* II. qui bellum cum *Erico* Suecorum Rege gessit.

1588. *Christianus* IV. qui bellum cum *Suecis* & Imp. *Ferdinando* II. gessit.

1647. *Fridericus* III. qui bello Suecis illato Hafniæ obsessus, insigni in Fionia prælio victor, Rex hæreditarius Daniæ factus fuit.

HISTORIA SUECICA.

Inter *Suecorum Reges* celeberrimi hi fuerunt:

1523. *Gustavus* I. qui regnum *Sueciæ* à tyrannide Christiani II. Regis *Danorum* vindicavit.

1561. *Ericus*, qui bellum acre cum *Friderico* II. Rege Daniæ gessit.

1593. *Sigismundus*, qui *Poloniæ* Rex factus, & à *Suecis* regno ejectus fuit.

1606. *Carolus* IX qui *Sigismundum* Suecia ejecit, & magna bella cum *Polonis*, *Moscis*, *Danis*, gessit.

1611. *Gustavus Adolphus Magnus*, qui omnium Regum gloriam rebus in *Germa-*

nia

nia gestis superavit, & tandem in prælio ad *Lutzenam* cæsus occubuit.

1632. *Christina*, filia *Gustavi*, regnavit, & bellum cum *Ferdinando* III. continuavit.

1653. *Carolus Gustavus* bellum Polonis infert, *Warsaviam*, *Cracoviam* expugnat, cum *Electore Brandenburgico* & *Ragotzio* arma jungit, ingenti prælio *Tartaros* & *Polonos* ad *Warsaviam* profligat, inde *Hafniam* obsidet: Scania potitur, Gottenburgi obit.

1660. *Carolus* sub tutela matris hodie in pace regnat.

HISTORIA POLONICA.

POLONIA amplissimum & potentissimum regnum à *Mari Balthico* usque ad *Pontum Euxinum* sese hodie extendit.

Primo Ducatus fuit. *Duces* originem suam deducunt à *Lecho*. Hujus progenie extinctâ, *Ducatus* pervenit ad *Gracchum*, deinde ad *Leskonem*. Sed hæc priora admodum incerta & fabulosa sunt.

Verior Historia *Poloniæ* incipit à *Piasto*, cujus progenies diutissime regnavit.

Inter *Piasteos* primus Rex fuit,

999. *Boleslaus*, quem *Otto* III. Imperator Romanus Regem creavit.

1024. *Mietzlaus* male regnat, *Bohemi* & *Moravi* ab eo deficiunt.

1041. *Casimirus* Poloniam tributariam Papæ Romano reddidit.

1069.

1069. *Boleslaus* II. *Stanislaum* Episcopum Cracoviensem trucidat, à Papa deponitur.

1081. *Vladislaus* regnum inter duos filios dividit.

1103. *Boleslaus* fratrem parte sua spoliat.

1140. *Vladislaus* regno à fratribus pellitur.

1146. *Boleslaus Crispus.*

1174. *Mietzlaus Tyrannus.*

1195. *Lezko.*

1371. Huic successerunt complures, donec *Ludov. Hungariæ Rex* electus fuit Rex *Poloniæ*, cujus filia fuit Hedwigis, quam duxit *Iagello* Dux *Lithuaniæ*, qui cum adhuc gentilis esset, Christianam fidem suscepit, & factus Rex *Poloniæ*, Magnum Lithuaniæ Ducatum illi regno conjunxit. Ille cum baptizaretur, nominatus fuit *Vladislaus*, 1386. Ejus posteri regnarunt usque ad *Sigismundum Augustum*, qui Anno 1573. obiit. Tunc Poloni elegerunt Regem *Henricum Valesium* Ducem Andegavensem, qui post obitum *Caroli* IV. fratris sui, factus est Rex Galliæ, & dictus *Henricus* III. Ei successit,

1576. *Stephanus Battorius*, qui feliciter cum *Moscovitis* bellum gessit, huic

1586. *Sigismundus* Rex Sueciæ, qui à *Carolo* IX. Patruo suo, regno Sueciæ privatus fuit, magna cum eo & filio ipsius *Gustavo Adolpho* bella gessit. Ei successit,

1631.

1631. *Vladislaus* filius, qui Moscovitas ac Turcas feliciter domuit.

1647. Joh. *Casimirus* perpetuis turbis exagitatur.

HISTORIA MOSCOVITICA.

Moscovitæ sive *Russi* primo divisi in complures Ducatus, postea à *Tartaris* subacti fuerunt. Deinde excusso jugo *Tatarico*, ingens imperium constituerunt, quod se late per Asiam extendit. Præcipui ipsorum Duces fuerunt,

Basilius, qui regna *Tatarica*, *Cazan* & *Astracan* subegit, & imperium latissime extendit.

1533. *Iohannes Basilides* Tyrannus incomparabilis, qui plane immania in subditos suos patravit.

1584. *Theodorus* simplex & tranquillus.

1597. *Boris Goudenow* familiam *Ioh.Basilii* extinguit.

1605. *Demetrius*, impostor callidissimus, qui se finxit filium *Theodori*, & ita Imperator factus est. Sed mox detecta fraude à Russis interfectus fuit.

1613. *Michael Fredowitz*, qui Imperium Russicum sub *Demetrio Impostore* à *Polonis* & *Suecis* misere *distractum*, iterum inivit, & à *Polonis* magnam cladem passus est anno 1634. cum *Smolentzko* obsedisset.

1645. *Alexius Michalowitz*, qui hodie imperat, bellum contra *Polonos* & *Suecos* gerit.

Tres

Tres quoque in Europa celebres Respublicæ sunt.

VENETA, HELVETICA, BELGICA:

VENETA.

VEnetiæ conditæ eo tempore quo *Attila* Italiam vastabat. Inde Rempublicam constituerunt & Duces crearunt longa ad nos serie. Primus Dux fuit:

696. *Paulutius* Anafestus. Inde *Veneti* late per Istriam, Dalmatiam, Græciam, arma circumtulerunt & sub *Sebastiano* Ziano Imperium maris Adriatici ab Alexandro III. Papa obtinuerunt. Secuta ingentia contra Genuenses, Hungaros, Saracenos, Græcos, Italos bella, in quibus in continente Veronam, Vincentiam, Patavium, aliasque urbes & insulas Zazynthum, Corcyram, Cephaleniam, Candiam, Cyprum, Eubœam, aliasque plurimas expugnarunt. Sub Laurentio Loredano A. 1501. conspiratione Imp. Maximiliani, Ludovici XII. & Julii II. oppressi omnes urbes in continente amiserunt, mox recuperarunt. Sub Aloysio Mocenigo A. 1574 Cyprus amissa. Sub Leonardo Donato A. 1606. Respublica à Paulo V. excommunicata Sub Antonio Priulo fedus cum Rep. Belgica initum A. 1622. Sub Francisco Molino A. 1645. exortum bellum Turcicum ob Candiam, quod hodieque durat.

RESPU-

RESPUBLICA HELVETICA.

Helvetii ſub *Rudolpho* I. Imp. Habſpurgico, præfectos nomine Imperii acceperunt. Ejus filius Albertus I. Imp. hanc Imperii præfecturam in dominationem verſurus, præfecit Uriis, Schwytziis, Underwaldiis, homines Tyrannicos: *Landenbergium*, qui cum boves ruſtico eriperet hac uſus fuit excuſatione: Ipſos ruſticos ſatis eſſe validos ad aratrum trahendum, & conquerenti de hoc ruſtico oculos eruit: *Griſlerum*, qui pileum ſuum perticæ impoſitum à prætereuntibus adorari voluit, cujus miniſter *Wolſenſchieſſius* cum honeſtam matronam in balneo violare conaretur, à marito ſnperveniente ſecuri trucidatus fuit. Igitur contra tantam præfectorum Tyrannidem tres ruſtici conjurarunt *Wernhern Stouffacher*, *Walther Furſt*, & *Arnold Melchtal*.

Initium fecit *Wilhelmus Tell*, qui cum pileum *Griſleri* ſine veneratione præteriiſſet, juſſus fuit pomum de capite filioli ſagitta dejicere. Quod cum feciſſet & tamen captivus à Griſlero abduceretur, ipſe elapſus Tyrannum obtruncavit. Inde Helvetii impetum in arces Tyrannorum fecerunt, eaſque omnes confregerunt. A. 1315. æternum fedus inter tres pagos, *Vri*, *Schwitz*, *Vnderwalden*, initum fuit, cui poſtea diverſis temporibus Tigurini, Bernenſes, Lucernates, Solodurii, Friburgenſes,

ſes, Baſileenſes & alii acceſſerunt. Verſus de hoc federe hi circumferuntur:

Da ermut weint und hochmut lacht
Da ward der Schweitzer bund gemacht.

Inde bella pro libertate geſſerunt contra Auſtriacos, Burgundos & Suevos. Prælia celebria ſunt.

I. Ad *Moregartam*, in quo *Leopoldus* Dux Auſtriæ cæſus 1315.

II. Ad *Sempach*, 1386. in quo alius *Leopoldus*, dictus Gloria militum, occiſus.

III. Ad *Granſonam* 1475. in quo *Carolus* Superbus D. Burgundiæ cæſus.

IV. Ad *Moratum*, ubi idem cæſus.

V. Ad *Nanceium*, ubi *Carolus* occiſus.

VI. Ad *Hardam* 1499. in quo 400. Helvetii 10000. Suevorum cæciderunt.

Deinde varia bella ſub alienis auſpiciis in Italia, maxime Ducatu Mediolanenſi geſſerunt, inter quæ duo imprimis prælia celebrantur, ad *Marignanum* & ad *Novariam*.

Civilia quoque bella habuerunt varia, ſed duo præcipua.

I. 1531. In quo *Zwinglius* occiſus.

II. 1654. Inter Tigurinos & Zwitzenſes, quod mox compoſitum.

RESPUBLICA BELGICA.

Orta ex defectione Provinciarum Belgicarum à *Philippo* II. Rege Hiſpaniæ, cujus cauſa fuit; Violatio privilegiorum, Inquiſitio Hiſpanica, Tyrannis, nova tributa. Pro-

Provinciæ cum initio *Franciscum* Alenzonium Regis Galliæ fratrem Dominum accepissent. postea Anglis sub *Lecestrio* parerent; pertæsi exterorum cruda imperia, Unione inter se inita *Gubernatores* crearunt: quorum hæc series.

I. *Wilhelmus* I. fundamenta libertatis ponit, Delphis à sicario occiditur.

1584. II. *Mauritius* Ducum sui temporis præstantissimus, architecturam militarem ad summam perfectionem promovet, maximas res gerit, prælio ad Nieuportam superat Hispanos, Ostendam in triennium defendit, Bredam navi turfifera intercipit, turbatam Remp. restituit, Antwerpiam frustra tentat.

1625. III. *Fridericus Henricus* victorias continuat, Sylvam Ducis, Trajectum ad Mosam, expugnat, Vesaliam intercipit, Schenkenschantziam, Bredam, Hulstam, recuperat. Sub eo pax cum Hispanis initur.

1647. IV. *Wilhelmus* II. præmature obit. Postea Bellum cum Anglis, atrox pace compositum, iterum hoc anno recrudescit.

HISTORIA ASIATICA.

In ASIA hodie Imperia præcipua sunt: *Turcicum*, *Persicum*, *Tataricum*, *Sinense*, *Mogolicum*, Japanicum.

IMPERIUM TURCICUM per *Europam*, *Asiam* & *Africam* extenditur; id tamen ad *Asiam* referimus: & quia ibi cepit, & quia major ac nobilior pars ejus ibi consistit.

Impe-

Imperatores hi fuerunt.

1299. I. *Osmam* sive *Ottomanus*, qui Imperium *Turcicum* anno 1300. fundavit.

1328. II. *Vrchan* qui *Prusam* expugnavit.

1362. III. *Amurath* I. trajicit ope Genuensium in Europam, *Serviam* & *Bulgariam* occupat.

1388. IV. *Bajazeth* I. Græciam invadit, à *Tamerlane* Imperatore *Tatarorum* victus capitur, in cavea inclusus per *Asiam* circumducitur.

1413. V. *Mahomed* I. regnum recuperat, *Adrianopoli* sedem Imperii figit.

1421. VI. *Amurat* II. *Ianizaros* instituit, *Thessalonicam* capit.

1452. VII. *Mahomed* II. *Constantinopolin* & *Trapezuntum* capit, duodecim regna & 200. urbes subjugat.

1457. VIII. *Bajazeth* II. *Valachiam* subigit, *Venetis* multa eripit, à *Selimo* filio regno exuitur, & veneno necatur:

1512. IX *Selimus* I. Regem Persiæ *Scha Ismaëlem* vincit, Ægyptum debellatis *Campsone* & *Tomumbeio* subigit.

1519. X. *Solimannus* *Rhodum*, *Assyriam*, *Babyloniam*, magnam *Hungariæ* partem subigit, *Viennam* *Austriæ* obsidet.

1566. XI. *Selimus* II. *Cyprum* subigit, prælio navali ad *Naupactum* vincitur à Christianis, *Tunetum* & *Guletam* recuperat.

1575. XII. *Amurates* III. bellum cum

 Persis

Persis infeliciter gerit, *Tataros Præcopenses* & partem *Hungariæ* subigit.

1595. XIII. *Mahomed* III. in Hungaria varia fortuna bellum gerit, *Taurisium* amittit.

1603. XIV. *Ahmed* à *Persis* vincitur, cum *Hollandis* fœdus init, magnas clades accipit.

1617. XV. *Mustapha* in carcerem detruditur.

1618. XVI. *Osmanes* cum *Polonis* infeliciter bellum gerit, ob turbulenta consilia dum sedem Imperii *Constantinopoli Cairum Ægypti* transferre conatur, à *Ianizaris* dejicitur throno & strangulatur.

1622. XVII. *Mustapha Osmanem* strangulari jubet, Comiti *Turensi* contra *Ferdinandum* II. auxilia mittit; seipsum Imperio abdicat.

1623. XVIII. *Amurathes* IV. Babylonem amittit, cum Cæsare pacem init.

1640. XIX. *Ibrahim* bellum *Venetis* in *Candia* & *Dalmatia* infert, male rem gerit, strangulatur.

1648. XX. *Muhammed* hodie imperat, bellum cum Cæsare *Leopoldo* componit, *Venetos* persequitur.

IMPERIUM PERSICUM à *Tigri* ad *Indum* extensum varias mutationes sustinuit. Nam primo *Califæ Saracenici* eo potiebantur. Hos *Turcæ* dejecerunt, *Turcas Tatari*, hos iterum *Turcæ*. Tandem *Persæ* regnum recuperarunt.

Reges

Reges hi fuerunt.

1500. I. *Sha Ismael Sophi* regnum Persiæ pulsis Turcis, occupat, & magna felicitate bellum gerit, à *Selymo* I. Turcarum Rege in campis *Calderanis* vincitur.

1524. II. *Sha Tamas*, *Taurin* amittit, *Vlamam* rebellem per *Deliment* vincit.

1577. III. *Sha Mahamed Chodabenda* *Schirvam* amittit, multa recuperat.

1585. IV. *Sha Abas* *Taurin* & alia recuperat.

1629. V. *Sha Sofi* *Bagdad* amittit.

1628. VI. *Sha Abas* hodie regnat, sub eo *Persia* intestinis motibus agitatur.

IMPERIUM TATARICUM.

Complectitur *Scythiam Asiaticam*, quæ dividitur in complures Tatarorum *Hordas*, quarum præcipue sunt, *Cazan*, *Astracan*, *Nagai*, *Siberia*, *Zavolha*, *Catay*, *Tebet*, *Mogol*, *Tatar*, *Tangut* sive *Tanyu*, *Niuche*, *Niulhan*, *Yupi* & aliæ.

Imperium hoc fundavit *Zinguis Khan*.

1202. I. *Zinguis Khan* omnes regiones à *Sina* ad *Caspium mare* subigit, & maximum Imperium condit.

1228. II. *Oktay* totam *Persiam* subigit.

1241. III. *Cayuc* Christianis & justitiæ favet.

1246. IV. *Manchu* sive *Muncaca* urbem *Cambalu* sive *Peking* instaurat.

1259. V. *Kublai* totam Sinam expugnat.

VI. *Timur*; post quem successerunt alii nobis ignoti usque ad A. 1380. quo *Homvu* Sinam recuperavit & omnes Tartaros extra murum ejecit. Interea Tartari regnabant in Persia & Syria.

1259. I. *Hulacu Kaan* qui *Bagdadum*, necato in thesauris suis *Califa* ultimo, cepit. Ei successerunt alii, quorum ultimus *Abusaid* obiit A. 1237.

Postea *Imperium Tataricum* varie distractum fuit usque ad *Timurlenkum*.

1369. *Timurlenck* ex prædone *Rex* factus. *Tatariam, Persiam, Indiam, Turciam* subigit, *Bajazethen* Turcarum Regem cavea ferrea clausum necat.

Post ejus mortem A. 1404. *Imperium Tataricum* iterum distractum est, & posteri *Tamerlanis*, qui Mogoli dicuntur, in India regnare cœperunt.

INDICA sive MOGOLICA.

Reges ejus.

1527. I. *Mirzah Babur* in India regnum *Mogolicum* condit.

1532. II. *Humayun* à *Tamas* Rege Persiæ restituitur in regnum.

1555. III. *Akbar Tzelaledin* veneno perit.

1605. IV. *Zelim Ziaban-Gir* filios rebelles domat.

1627. V. *Sha Ziahon Choram* nuper defunctus. Ejus filii inter se discordes regnum hodie lacerant.

SI-

SINENSIS.

SINÆ antiquissimum & amplissimum Imperium *Tatari* sub *Kublay Khan* occuparunt & aliquandiu tenuerunt, donec eos inde iterum A. 1380. *Homvu* expulit, qui novam familiam *Taimingam* condidit; cujus ultimus Imperator *Zungchinius* capta à latrone quodam regia urbe *Peking*, occisa prius filia se ipsum suspendit. Interea *Tatari* Orientales *Niuche* & *Niulhan* totam *Sinam* expugnarunt, & extincta familia Taiminga, novam condiderunt *Taizingam*. Cujus primus Imperator fuit.

1644. *Zungteius* Magnus *Tartariæ* & *Sinæ Chamus*, ad quem Batavi splendidam legationem miserunt. Is hodieque imperat & bellum, contra Ducem exulum Sinensium *Coxingam*, maritimum gerit.

HISTORIA INDIÆ ORIENTALIS.

Indiam Orientalem detexerunt, circumnavigata Africa, Portugalli A. 1498. per *Vasconem* Gamam navarchum, auspiciis *Emmanuelis* Regis. Sedes Imperii est urbs *Goa*.

A. 1463. *Alexander* VI. orbem novum divisit inter Castilianos & Lusitanos, ducta per globum linea à polo ad polum, & primo meridiano collocato in insulis fortunatis.

A. 1494. Lusitani impetrarunt ut primus meridianus in Azores transferre-

tur, per 400. mill. occid. versus. Ita ipsis cessit *Brasilia*, Castilianis vero Insulæ *Philippinæ* & *Moluccæ*. Controversia de Moluccis per mathematicos definitur, & matrimonio inter Isabellam sororem Caroli V. Imp & Johannis III. terminatur, persolutis 350000. Ducatis A. 1529.

Lusitani periculosissimas tempestates ad Africæ littus fuerunt experti, imprimis ad C. de *Bojador* & C. de *Non*. Quibus superatis ad C. *Bonæ* spei hæserunt, quod videbatur insuperabile & limes inter novum ac veterem orbem. Ad solum ejus nomen nautæ contremiscebant: maximum periculum à nubecula *Olho* de Boy, id est, *Oculo* Tauri.

Amittunt plurimas naves naufragio & conqueruntur Deum esse clementiorem erga Anglos ac Belgas hæreticos, quam Lusitanos, qui tamen sint boni Catholici.

A. 1585. naufragium miserrimum navis S. Jago ad Baxos de India contigit.

Circa A. 1600. Batavi societate Indica constituta plurimas insulas & regna occuparunt, sede imperii & mercaturæ constituta in urbe *Batavia*, quam ruinis *Iacatræ* superstruxerunt. Magna inde inter ipsos & Lusitanos per Indiam bella, & Imperator Javæ, quem Magnum *Mattaram* vocant, aliquoties Bataviam frustra obsedit. A. 1655. splendida ad Magnum Tatariæ Sinæque Chamum *Sungteium* missa est Legatio, quæ interiora Sinæ Pekingum usque

que perlustravit, quam propediem Latio donatum publici juris faciemus, ex qua status illarum regionum accuratissime innotescet.

Finis Historiæ Asiaticæ.

HISTORIA AFRICANA.

Est vel *Maroccano-Fessana*, vel *Abassina*, vel *Congensis*, vel *Monomotapana*.

MAROCCANO-FESSANA.

Saraceni diviso Imperio *Saracenico*, in *Mauritania* regnare cœperunt. Sedes regni aliquando fuit *Fez*, aliquando *Marucco*.

Regnum varias mutationes passum fuit. Primus Rex Fezæ fuit A. 788. *Idris*, inauguratus in urbe *Walila*; ex cujus posteritate XIII. ordine regnarunt, sub quibus *Candia*, Sicilia, pars Italiæ, Sardinia & aliæ maris mediterranei insulæ expugnatæ. Ultimus ex familia Idris fuit *Alhasen*, qui A. 985. consilio Hasiami Mobbeidæ occisus fuit. Ita *Zeiram* filius *Athiæ Zenatæus* ad Imperium Mauritaniæ vocatus fuit, qui familiam *Zenatæam* condidit.

Zenatæis successerunt *Almoravidæ*, inter quos primus & celeberrimus fuit A. 1068. *Ioseph Tessefin* qui Hispaniam subegit, & in *Africa* latissime imperavit. Extincta familia *Almoravidarum*, successerunt *Alhohadæ* conditi A. 1140. ab quodam Ludimagistro *Abdalla Almahadi*, ex cujus successoribus celeberri-

mus fuit. A. 1169. *Iacub* Almanzur; ultimus *Muhammed* Enasir, quo, Anno 1210. in Hispania ad Navas Tolosanas cum ducentis millibus Saracenorum, occiso; Imperium Africanum Almohadarum in multas partes distractum fuit, & ex illa distractione orta sunt regna, *Tunetanum*, *Tremezenum*, *Fessanum*, *Maroccanum*, *Granadense*, & alia. Inter *Tunetanos* Reges celeberrimus fuit A. 1530. *Muley-Asses*, quem *Carolus* V. in regnum restituit, filius *Amida* iterum expulit & oculis orbavit.

In *Fessano* regno *Merinenses* regnarunt. Hoc circa A. C. 1500. *Scerifii* expulerunt, qui hodieque ibi regnant, & perpetuis dissidiis ac bellis civilibus exercentur. Quibus cum se immisceret *Sebastianus Portugalliæ* Rex A. 1578. in prælio periit.

1639. *Muhammed* regnavit, sub quo varii reguli, imprimis Salehæ defecerunt, & contra Anglos Tangeram insidentes bellum gerunt.

ABASSINA.

In *Abassina* diutissime regnarunt Christiani, quorum Imperator vulgo dicitur *Presbyter Iohannes*.

Origo nominis illius vera hæc est. *Prestar* Persis mancipium. *Chan* Rex est. Ergo *Prestar-Chan*, (unde Europæi ridicule fecerunt *Presbyter Iohannes*) est Rex mancipiorum: quia mancipia toto orbe notissima sunt *Abassini*.

Hoc

Hoc regnum *Europæis* demum sub *Emmanuele* Rege *Portugalliæ* propius innotuit, cujus tempore, cum navigatio in Indias Orientales detecta fuisset, *David Rex Abyssenorum* fedus cum Christianis Europæis pepigit contra *Turcas* & *Saracenos*. Sed postea Imperium hoc à *Turcis Æthiopibus* & *Arabibus* misere destructum ac dilaceratum fuit: ita ut hodie vix quatuor provincias, & ægre, Abassini defendere possint.

CONGENSIS.

Imperium *Congense* circa A. 1500. *Lusitanis* innotuit. Ejus Reges fidem Christianam susceperant, in qua tamen non diu perstiterunt. Hoc regnum à *Iacchis* immanissima *Lybiæ* interioris natione penitus destructum fuit circa A. 1560.

MONOMOTAPANA.

Monomotapæ Imperium usque ad promontorium Bonæ Spei extenditur, & alio nomine *Mocaranga* dicitur. Pauca nobis de eo constant. Circa A. 1560. *Sebastianus* Rex fidem Christianam suscepit.

Finis Historiæ Africanæ.

HISTORIA AMERICANA.

Novus Orbis, qui & *India* Occidentalis & *America*, A. 1429. à *Christophoro Columbo* detectus fuit, auspiciis Ferdinandi & Isabellæ Regum Castiliæ. Eum cædibus ita exhauserunt Hispani, ut hodie magnam

partem desolatæ sint Provinciæ. Præcipua Imperia duo fuerunt.

I. *Mexicanum* conditum A. 1327. cujus ultimus Imperator fuit, A. 1502. *Motezuma*, sub quo *Ferdinandus* Cortesius Dux Hispanorum urbem *Mexico* expugnavit & delevit. Ipse Motezuma à Mexicanis saxo percussus, interiit, vel ut alii, ab Hispanis strangulatus fuit A. 1521.

II. *Peruanum* sive Cuzconicum, quod *Franciscus* Pizarrus A. 1525. detexit & victo, capto, ac contra fidem datam strangulato *Atabalipa* Imperatore, Hispanis subjecit.

Chilenses, maxime Araucani, libertatem suam contra Hispanos generose defendunt. Ab his circa A. 1551. *Valdivia* præfectus Hispanorum captus fuit, cui vivo aurum liquefactum cum exprobratione avaritiæ, in os infuderunt.

Cætera Americæ barbara sine lege, sine Rege, sine Religione, nisi quod per *Floridam*, *Virginiam*, Novum *Belgium* Novam *Franciam*, populi aliquot Regibus suis subjecti.

Atque hæc brevis quædam Historiæ Universalis Politicæ delineatio, quam integram una cum Chronologicis tabulis, magno volumine, Deo gratiam largiente, propediem publici juris faciemus.

Finis Historiæ Politicæ.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
Quæ in Historia Ecclesiastica occurrunt.

A.

Jac.

horrenda

Colce-

D.

.E.

H.

omnem

ex iis

Synodus

W.

Z.

FINIS.

